This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

751j
D758

C 54657


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

751 j
D 758

UNIV. OF
CALIFORNIA

QUAESTIO CRITICA

DE

DEMOSTHENIS ORATIONE

PHILIPPICA TERTIA

SCRIPSIT

IOANNES DRAESEKE

Doctor Philosophiae

AUGUSTAE TAURINORUM

ROMAE ET FLORENTIAE

ARMINIUS LOESCHER

1876

UNIV. OF
CALIFORNIA

Estratto dalla Rivista di Filologia ed Istruzione Classica — *Anno IV, Fascicolo V-VI, Novembre-Dicembre* 1875.

Torino — Tipografia di VINCENZO BONA, via Ospedale, 3.

FRIDERICO BLASSIO

ORATORUM ATTICORUM EXISTIMATORI ACERRIMO

DOCENTIS MUNUS IN UNIVERSITATE LITTERARIA REGIOMONTANA

FELICITER SUSCEPTUM

CONGRATULATUR

ATQUE

HANC QUAESTIONEM DEMOSTHENICAM

AMICITIAE IN CONVICTU PAEDAGOGII

QUOD EST AD CLAUSTRUM BEATAE VIRGINI

SACRUM PARTHENOPOLITANI IUNCTAE

ET PER MUNERIS SCHOLASTICI ANNOS FIDELITER PERDUCTAE

TESTEM ESSE VULT

IOANNES DRAESEKE

489926

UNIV. OF CALIFORNIA

QUAESTIO CRITICA

DE

DEMOSTHENIS ORATIONE PHILIPPICA TERTIA

Constat artem criticam in Demosthene recensendo factitatam codice Parisiensi Σ reperto nova quaedam et prorsus inaudita cepisse incrementa. Cui libro cum quid fidei quantumque dignitatis sit tribuendum magna inter viros doctos sit dissensio, tum quaenam inter eum reliquosque libros manu scriptos intercedat ratio et quam ille cum his habeat communitatem cognationemque in disceptatione versatur. Etenim plerique codici Σ decimo saeculo in Asia minore scripto miram quandam atque singularem adscripserunt praestantiam, ita, ut in summo iam et quasi nubibus velato perfectionis fastigio, ad quod nullus esset aditus, videretur constitutus. Primus vero Rehdantzius, ut inexplicabilem paene removeret disiunctionem inter codicem Σ et reliquos libros factam, esse revera exposuit certa quaedam et destinata coniunctionis vincula et firmam ipse proposuit codicum distinguendorum et ordinandorum rationem, quam vel Voemelius (in recens. dissertationis Schultzii « de codicibus quibusdam Demosthenicis ad orationem Phil. III nondum adhibitis » in « Zeitschr. f. d. Gymn.-Wesen » 1860, p. 413), acerrimus codicum Demosthenicorum existimator, facere non potuit quin assensu suo plane comprobaret. Tres igitur ait ille (in Iahnii Annal. phil., 1857, p. 813-827) esse res, quibus qui cuique libro manu scripto in codicum numero dandus sit locus constituatur, primum orationum quas contineat numerum et ordinem, deinde com-

munia quaedam vitia atque errata, tum varias quasdam lectiones, quae usque quaque pari modo inveniantur. Quae si ad cod. Σ et illam quae ei cum ceteris est libris manu scriptis referuntur rationem, colliguntur haec: Primum quod unum attinet orationum numerum collocationemque artior quaedam statuenda est cognatio et inter cod. Σ et inter codices r, Υ, A, U. Atque hoc confirmatur eo, quod cod. Σ in orationibus 19-59 eisdem miris scatet erratis atque vitiis, quibus codicum familia r, A, Υ inquinata est, nec tamen ullo modo libros manu scriptos ad familiam F pertinentes vitiorum societate contingit. Tum ex variis efficitur lectionibus, codici r inter cod. Σ et codices A et Υ medium quasi quendam assignandum esse locum, ita tamen, ut codex r ad eum librum, ex quo omnes deinceps communi descripti sunt, non tam prope accedat quam cod. Σ, propius vero codicibus A et Υ. Haec si recte se habent, codicis Σ auctoritatem diuturna auctam solitudine imminui necesse est. Atque hoc ne Laurentiano quidem codice per Schultzium a. 1860 invento prohiberi potuit. Is enim liber, XIII. saeculo scriptus et post Schultzium a Rehdantzio diligenter excussus, etsi non e cod. Parisiensi Σ exscriptus videtur, cum hoc tamen artiore affinitatis vinculo coniunctus est ita, ut et primae in codice Σ lectionis detrimentum verborum plane servatorum leniat compensatione et optime ex eo quae in cod. Σ perperam sint scripta cognoscantur. Accedit, quod Laurentianus modo cum hac modo cum illa consentit codicum Demosthenicorum familia. Itaque tantum abest ut codicem Σ ab reliquis seiungat libris manu scriptis, ut ipse contra interna quaedam inter hos et illum nectat vincula. Atque de codicum vi ac natura satis dictum est.

Sed ut ad id quod mihi proposui propius iam aggrediar, mirandum sane videtur, viros doctos quamvis magnam operam et diligentiam inde ab I. Bekkeri editione Demosthenis

(a. 1822) in codice Σ perscrutando iure meritoque consumerent, diutius tamen id quod codici Σ prae ceteris maxime esset proprium plane praetermississe, qua conditione videlicet oratio Philippica tertia tradita esset. De qua primus a. 1839 in actis academiae Monacensis fusius disputavit L. Spengelius.

Hac enim in oratione interpolationes modum usitatum longe trasgrediuntur. Nam cum codices Σ et Laur. haud raro breviorem quam Vulgata eiusmodi praebeant textum, ut singula verba, particulas, synonyma omittant, orationem Philippicam tertiam, cui veteres inter Philippicas Demosthenis primum tribuunt locum, exhibent longe decurtatissimam. Neque enim in ea iam singula desunt vocabula sed tota enunciata sententiasque, in reliquis codicibus servata et in illis quoque libris per alias manus margini adscripta, hic prima manus omisit. Itaque dubitari non potest, quin huius orationis nos habeamus duas quasi quasdam recensiones et additamenta illa optimas profecto nobis ad recensendum Demosthenem ansas praebeant. Quodsi de ratione quae inter duas illas interest orationis Philippicae III recensiones ferendum est iudicium, hoc iam agitur, utrum hac de re nova quaestio novis adhibitis rationibus instituenda, an de variis lectionibus hac in oratione frequentissimis ad usitatarum leviorumque similitudinem diiudicandum sit.

Sed cum viri docti in persolvenda hac quaestione usque ad hunc diem frustra desudaverint, non hoc mihi spectandum esse censeo, ut ad omnes amovendas difficultates novam de variarum lectionum ortu proferam sententiam, sed illud, ut unam ex earum quae iam propositae sunt numero circumspectis rebus omnibus accuratius comprobem, gravioribus fulciam argumentis et ab adversariorum criminibus defendam. *Percenseamus igitur varias virorum doctorum sententias ita, ut eam postremo teneamus eamque tueamur*

rationibus, quae ad veri similitudinem proxime accedere videatur.

Ac primum quidem nominandus est *Dindorfius*. Is enim pleniorem editionem ab ipso Demosthene perscriptam mature ab rhetore aliquo compendifactam eamque in formam redactam esse putavit (in praef. edit. Oxon. vol. V. p. 178), quam prima codicis Σ manus repraesentaret. Sed cur ita statuat frustra quaeritur, nullas enim adfert rationes; quin adeo non sibi ipse constare videtur, ut eodem loco pleraque additamenta ita comparata esse dicat, ut dubitari non possit, quin si non a Demosthene orationem quacunque de causa retractante, at tamen ab alio scriptore non multo recentiore Demosthenica amplificante profecta sint. Itaque non est cur in Dindorfii sententia refutanda commoremur. Multo vero accuratius subtiliusque hac de re difficillima disseruit *L. Spengelius*, qui ut primus quaenam inter duas illas recensiones interesset ratio animadvertit, ita etiam rem ipsam explicare et rationibus probare conatus est. Etenim cum additamenta quae exhibet Vulgata editio cum oratoris indole atque ingenio plane ei congruere videantur, orationem Philippicam tertiam vult secundis curis ab ipso Demosthene repetitam, denuo elaboratam et illis locis esse auctam. Priorem autem eius editionem ait ad nostra pervenisse tempora, ad eiusque marginem quae post addiderit orator adnotata esse, nec tamen haec suo semper loco videri esse inserta. Quam coniecturam in libello suo qui inscribitur « Die Δημηγορίαι des Demosthenes 1860 » p. 64 accuratius definivit ita, ut scribarum partem alteram statueret quae in margine ab oratore scripta reperissent omisisse, alteram in verborum continuationem intulisse. Ad hoc probandum quibus argumentis usus sit Spengelius quaeque iis habenda sit fides nunc videamus. Atque ex priore eius dissertatione a. 1839 conscripta adnotationibusque, quas Demosthenis locis ibi ci-

tatis subiunxit, Spengelium apparet cum e triginta locorum de quibus disputavit numero duodecim modo ut genuina additamenta agnoscat, duodeviginti reliquos quod aut Demosthene sint indigni aut perspicue prae se ferant interpolationis notam reicere. In posteriore vero disputatione a. 1860 edita cum hoc locorum genus silentio prorsus praetermittat, id tantummodo contendit memoratu esse dignum et diligenti egere quaestione, utrum maiora additamenta — et ex his quidem quinque, quae tamen antea iam duodecim illorum numero erant comprehensa — ab ipso oratore profecta an ab ignotis rhetoribus Demosthenis verba amplificantibus adiecta sint. Sed quoniam Spengelius duodeviginti locos nota interpolationis notatos a reliquis disiungit, iam hoc loco videtur necessarium, iudicandi regulam ac normam in medio ponere eam, quae ex eo quod de codicis Σ inter reliquos libros exposui collocatione efficitur: *Quum permulta in oratione Philippica tertia additamenta, quae desunt in cod.* Σ, *non a codice solum Laurentiano, sed ab aliis etiam, Manettiano, Vaticano, Palatino, omittantur, omnibus fere locis, quibus omissio quaedam codicis* Σ *in aliis quoque libris invenitur, saepissime vero etiam tum, cum solus* Σ *omittit, reliquos codices nisi aliis prohibitum sit rationibus interpolatos esse recte iudicabimus.*

Hac iudicandi regula tanquam firmissimo instructi adminiculo si iam ad Spengelii sententiam examinandam accedimus, magnum additamentorum numerum ab eo ex oratoris textu videmus iure meritoque removeri. Sunt enim haec interpolationis vulgaris exempla, de quibus omnes fere viri docti idem sentiunt. Etenim adduntur pronomina (§ 12 ἐν αὐτοῖς, § 36 ἅπαντες, § 47 τοιοῦτος, § 18 ὑμῶν, § 2 αὐτή), particulae (§ 29 δήπου, § 37 ἀεί, § 54 ἢ-ἤ), verbum εἶναι § 61, alia. His de locis fusius disputare longum est. Etiam alterum illud genus additamentorum, quibus id, quod orator

tantum attigit, a rhetoribus aut grammaticis amplificatum est, praetereo (§ 1 Ἕλληνας, § 71 τοῖς Ἕλλησι, § 36 τῶν Ἑλλήνων, § 60 τοῦ τῶν Ὡρειτῶν, § 53 ἔξω, § 45 δωροδοκοῦντας, § 48 τῶν ἀντιπάλων, § 66 στρεβλούμενοι pro σφαττόμενοι, § 2 τοῦ ταῦθ' οὕτως ἔχειν, § 3 τῆς ταραχῆς καὶ τῶν ἁμαρτημάτων, § 68 συμβάντος τινός, § 13 οἳ μὲν οὐδὲν αὐτὸν ἐδυνήθησαν ποιῆσαι κακόν, § 14 καὶ κρίνειν βουλομένων, § 37 οὐδὲν ποίκιλον οὐδὲ σοφὸν ἀλλ' ὅτι, § 43 καὶ θεωρεῖτε παρ' ὑμῖν αὐτοῖς, § 73 πρώτους ἃ χρὴ ποιοῦντας τότε καὶ, § 60 παρ' ἐκείνου, § 44 τοῦτ' ἔμελεν, § 37 καὶ παραίτησις οὐδεμία ἦν οὐδὲ συγγνώμη, 39 συγγνώμη τοῖς ἐλεγχομένοις).

Etenim omnia haec additamenta cum plurimis viris doctis videantur esse spuria, tum a Spengelio codicum plerumque auctoritate subnixo reprobantur, ita tamen, ut correctione passim adhibita eum certam quandam ac determinatam iudicandi regulam non sibi proposuisse perspicuum sit. Iam quaeritur, quid sit causae, cur ex ingenti variarum lectionum multitudine in Vulgata editione servatarum has potissimum quas attuli elegerit, quibus ortum Demosthenicum omnibus additamentis generaliter vindicatum prorsus denegaret. Nonne eodem iure etiam multos alios locos, qui non parva modo et vulgaria additamenta, verum maiora etiam grammaticorum rhetorumque continent interpretamenta notare atque reicere debuit? Sed ne ex iis quae certis forsan de causis praetermiserit Spengelius temere quid colligamus, eos potius locos in iudicium vocabimus, quos ille ab ispo Demosthene cum secundis curis orationem suam repeteret denuoque elaboraret claris verbis contendit esse profectos.

Ac primum quidem posthabitis omnibus locis, qui postea alias ob causas accuratius etiam examinandi sunt, nunc de iis nobis anquirendum est, quos Spengelius anno 1839, nec tamen anno 1860 ab oratore scriptos esse putavit.

1. (Sp. p. 176) § 26. μᾶλλον δὲ οὐδὲ πέμπτον μέρος τούτων

ἐκεῖνα. [καὶ τοῦτο ἐκ βραχέος λόγου ῥᾴδιον δεῖξαι.] Ὄλυνθον μὲν δὴ καὶ Μεθώνην ... ἐῶ κ. τ. λ. Verbis illis quae uncis inclusi Spengelius cum in sequentia ei quadrare apte videantur, facile tamen putat posse careri, praesertim quod μὲν δὴ per se iam transitum indicet. Quamquam vult locum ab oratore opus suum retractante esse additum. At quanam quaerimus de causa hoc loco Spengelius veteres rhetores non adhibuerit, cum eorum testimonia tanti alias aestimet, ut in § 66 unum secutus Aristidem Demosthenis textum suo arbitrio restituere non dubitet. Saniorem profecto hoc loco inisset rationem. Hermogenes enim (W. III, 335), Iosephus Rhacend. (III, 507) et Hermogenis scholiasta anonymus (VIII, 657) § 26 utuntur praeteritionis exemplo. Quod nullo modo fieri potuit, si Demosthenes paulo ante dixisset, se rem brevi demonstraturum. Itaque veri simile est eos additamentum illud non legisse. Iamque post transitum καὶ τοῦτο ἐκ βραχέος ... alter (μὲν δὴ) sequens prorsus esset inanis, imprimis cum sequantur ἐῶ ... σιωπῶ. Etiam ῥᾴδιον εἰπεῖν post ῥᾴδιον δεῖξαι non bene esset repetitum. His igitur de causis, quas spero digniores esse futuras quibus fides habeatur quam Benseleri verbis de nostro loco et §§ 37 et 39 (v. supra) sine argumento ac ratione positis: « Quae quin maxime idonea sint et ceteris conveniant orationisque gravitatem augeant, non potest dubitari » (Bens. de hiatu in Dem. orat. p. 28), et quia deest sententia in pr. Σ et pr. Laur., sequitur eam e textu esse eiciendam.

2. (Sp. p. 187) § 54. ὁ μὰ τὸν Δία καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς οὐ δύνασθε ὑμεῖς ποιῆσαι [οὐδὲ βούλεσθε], ἀλλ' εἰς τοῦτο ἀφῖχθε μωρίας κ. τ. λ. Quod additamentum putat Spengelius vere esse Demosthenicum. Quam ob rem, difficile est ad intellegendum. Illi enim, si cum Vulg. legit δύνασθε nec potius quod Σ et Laur. praebent δυνήσεσθε, verba οὐδὲ βούλεσθε nimirum offensionem e linguae Graecae legibus manantem

habere non potuerunt. Subesse vero talem negari non potest. Quodsi pr. Σ, pr. Laur., Pal. Aug. 1 additamentum illud non habent, apparet id non a Demosthene esse profectum.

3. (Sp. p. 188) § 65. ὃ νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω δέδοικ' ἐγὼ μὴ πάθηθ' ὑμεῖς, ἐπειδὰν εἰδῆτε ἐκλογιζόμενοι μηδὲν ὑμῶν ἐνόν [καὶ τοὺς εἰς τοῦθ' ὑπάγοντας ὑμᾶς ὁρῶν οὐκ ὀρρωδῶ, ἀλλὰ δυσωποῦμαι· ἢ γὰρ ἐξεπίτηδες ἢ δι' ἄγνοιαν εἰς χαλεπὸν πρᾶγμα ὑπάγουσι τὴν πόλιν]· καίτοι μὴ γένοιτο, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὰ πράγματα ἐν τούτῳ· τεθνάναι δὲ μυριάκις κρεῖττον ἢ κολακείᾳ τι πιοῆσαι Φιλίππῳ [καὶ προέσθαι τῶν ὑπὲρ ὑμῶν λεγόντων τινάς]. Quantam in Schaefero iudicandi subtilitatem fuisse putabimus, cum prioris illius Vulgatae additamenti ratione habita in Appar. sui crit. et exeg. tom. I. p. 599 haec scriberet: « Non valde, » inquit, « repugnarem, si quis vel unius auctoritate libri deleret: adeo languet, adeo frangit vim reliquorum, ut vix dubitem, pannum esse ab ineptissimo homine olim assutum purpurae oratoris ». Quam longe vero aliter Spengelius, quem librorum manu scriptorum multo peritiorem esse Schaefero consentaneum est! Ignorat, quis verba illa hoc loco addiderit. Iam cum proditores, qui nihil aliud agant, quam ut Atheniensium res in discrimen vocent et per inscitiam populo interitum moliantur, suo plane loco ei commemorati videantur, verba illa ut multa alia in oratione nostra Harpocrationis ductus testimonio ab ipso oratore putat postea esse adiecta. Atque si Schaeferus dissimulatione quadam usus pergit: « Egregium vero dicitur, istos homines talia machinari ἢ ἐξεπίτηδες ἢ δι' ἄγνοιαν! Taceo alia, quae nemo non rationi et orationi Demosthenicae satis assuetus per se facile intellegat » — rationi ille non plane praecludit aditum, sed additamentum illud quibus verbis sit traditum iis a Demosthene scribi nullo modo potuisse contendit. Proditores enim illos non inscitia agere sed consilio et ratione: itaque scribendum esse ἢ γὰρ (vel καὶ γὰρ)

ἐξεπίτηδες, οὐ δι' ἄγνοιαν, quam coniecturam Dindorfius (ed. Oxon. V. p. 198) assensu suo comprobat. Certe qui Spengelium hac via procedentem volet sequi, hanc etiam correctionem laudare poterit. At cum desit additamentum in optimis libris pr. Σ, Bav. Ω, aliis (v. ap. Voem.) et in codd. Laur. et Vat., quos Schultzius contulit, orationis textu expungendum est.

4. Verum alterum etiam additamentum Spengelius contra Dobraeum verba ab interpolatore quodam ex orat. Cherson. § 49 huc esse translata arbitratum (Advers. I, p. 375) opinatur esse genuinum. Dicit enim Demosthenem non de tradendis Philippo oratoribus neque etiam de iis quae regnante Alexandro acciderint verba facere, sed hortari cives, ne oratorem, qui reipublicae inserviat utilitatibus, patriae proditoribus a Philippo corruptis postponant. Hic autem loci sensus, ut Funkhaenelius in illustri suo quo Spengelium concidit libello (epist. gratul. ad Godofr. Hermannum data) recte animadvertit, nullo modo statui potest. Illud si Demosthenes exprimere voluisset, non τῶν ὑπὲρ ὑμῶν λεγόντων τινάς aut quod Pal. Schultzii (Pal. 6 Voemelii) praebet τῶν ὑπὲρ ὑμῶν λεγόντων τινάς, sed τοὺς — λέγοντας scribere debuit. Apparet igitur verba illa non a Demosthene profecta, sed — id quod Spengelius etiam nuperrime (Die Δημηγ. des Demosth. 1860, p. 72) animo informare nondum — potest ab alio nescio quo grammatico historiarum perito esse adiecta, qui, cum alios oratores tum Demosthenem tradi sibi Alexander iussisset, hoc quod post factum est ad marginem adnotavit. Sunt igitur cum pr. Σ et pr. Laur. delenda.

5. (Sp. p. 193) § 75. εἰ δ' ὁ βούλεται ζητῶν ἕκαστος καθεδεῖται καὶ ὅπως μηδὲν αὐτὸς ποιήσει σκοπῶν, πρῶτον μὲν οὐδὲ μήποθ' εὕρῃ τοὺς ποιήσοντας, ἔπειτα δέδοικα ὅπως μὴ πάνθ' ἅμα, ὅσα οὐ βουλόμεθα, ποιεῖν ἡμῖν ἀνάγκη γενήσεται· [εἰ γὰρ ἦσαν, εὕρηντ' ἂν πάλαι ἕνεκά γε τοῦ μηδὲν ἡμᾶς ποιεῖν ἐθέλειν,

ἀλλ' οὐκ εἰσίν.] Etsi Spengelius codices adfert F, Σ, Ω, u, v, in quibus illud deest Vulgatae additamentum, hoc tamen putat sibi esse retinendum ita, ut, quod recte viderint Dobraeus, Schaeferus, Ruedigerus, post ποιήσοντας textui inseratur. Profecto si omnino verba illa fuerunt in textu, fieri non potest quin eo loco quem statuerunt viri illi docti lecta fuerint. Scribi vero ea a Demosthene unquam potuisse iure negat Funkhaenelius (l. cit.), quod verba εἰ δ' ὃ βούλεται ζητῶν ἕκαστος καθεδεῖται..... et ἕνεκά τε τοῦ μηδὲν ἡμᾶς ποιεῖν ἐθέλειν tam molestam contineant sententiae repetitionem, qualem admisisse Demosthenem haud facile quis sibi persuadeat. Et quoniam tredecim apud Voemelium libri manu scripti et in his Σ, ad quos Schultzii accedunt Codd. Man. et Vat., additamentum illud omittunt, non iam est dubium quin delendum sit.

Veniamus nunc, is enim erit alter locus, ad ea additamenta, quae Spengelius et in dissertatione de orat. Philipp. III. a. 1839 scripta et in libello de contionibus Demosthenis a. 1860 edito ab ipso oratore adiecta esse contendit.

6. § 20. ὥστε οὐδὲ δοκεῖ μοι περὶ Χερρονήσου νῦν σκοπεῖν οὐδὲ Βυζαντίου, ἀλλ' ἐπαμῦναι μὲν τούτοις καὶ διατηρῆσαι μή τι πάθωσι [καὶ τοῖς οὖσιν ἐκεῖ νῦν στρατιώταις πάνθ' ὅσων ἂν δέωνται ἀποστεῖλαι], βουλεύεσθαι μέντοι περὶ πάντων τῶν Ἑλλήνων ὡς ἐν κινδύνῳ μεγάλῳ καθεστώτων. Ipsis iam verbis quae in cod. Σ legantur, putat Spengelius Diopithis et militum eius perspicue haberi rationem, verum Vulgatae demum additamento discerni hos ab hominibus, qui illic habitent: itaque explicationem illam ab ipso Demosthene post esse additam non esse improbabile. Quin Diopithis militumque eius mentio a. 1860 non modo non ei videtur esse superflua, sed paene necessaria: ipsum vocabulum νῦν oratoris indicare manum. Quod qua de causa sit necessarium haud ita

facile quis intelleget. Recte vero Spengelius Voemelio — idemque quadrat in A. Schaeferum, cf. librum eius « Demosthenes und seine Zeit » II, 447 — dat crimini, quod de oratoris sententia perperam iudicaverit. Is enim illatis Vulgatae verbis opinatur rumpi sententiae nexum. Namque non tam de Chersoneso ac Byzantio agi quam de omnium Graecorum salute, atque huic sententiae sive alienam esse rogationem de militibus sustinendis sive superfluam, cum praecedat περὶ Χερρονήσου. Sed tantum abest ut ita res se habeat, ut in hunc fere modum locus videatur intellegendus : Quum inter reliquos oratores ea de re potissimum magna sit altercatio, utrum Diophiti prospiciant et Chersonensibus Byzantiisque in periculum vocatis auxilium mittant nec ne, Demosthenes hanc rem negat ulla egere disputatione, etenim omnibus rebus posthabitis Diopithi in primis ferendum esse auxilium. Neque hoc solum sufficere, verum ad omnes Graecos mittendos esse legatos, qui ad bellum evocent et cum iis societatem coniungant, § 71. Hoc enim dicit orator per totam orationem βουλεύεσθαι. Iam si Benselerus, etsi verba illa in editione sua secludit, tamen locum tanquam genuinum defendens verisimile putat esse, Demosthenem, cum § 73 rationem subiungat qua Chersonesi milites adiuvandi sint, hoc quoque loco post πάθωσι verbis καὶ τοῖς οὖσιν.. ἀποστεῖλαι idem fecisse, ego contrariam sequor sententiam. Nam qui attento animo orationem legens § 73 auxiliandi rationem accuratius circumscriptam animadvertit eandemque § 20 desideravit vel potius contineri iam brevioris lectionis verbis ἐπαμῦναι μὲν τούτοις καὶ διατηρῆσαι μή τι πάθωσι non intellexit, is verba illa, quae Voemelius prorsus esse superflua recte iudicavit, ex § 73 repetivisse et nostro loco temere inseruisse putandus est. Etiam quod discrepant codices in verborum collocatione [πάθωσι καὶ τοῖς οὖσιν ἐκεῖ νῦν (ἐκεῖ νῦν οὖσι Aug. 1 et 2. Pal. Harl.) στρατιώταις (στρατηγοῖς

Ω. Vat. Man. Urb. Ang. Pal. 1, Vind. 1. 3 et 4. Rehd. Y. u. v. Ald. sqq.) πάνθ' ὅσων ἂν δέωνται (δέωνται καὶ Aug. 2) ἀποστεῖλαι] interpolationis movet suspicionem, quae codicibus Σ et pr. Laur. firmata videtur. Sequitur igitur ut verba illa sint eicienda.

7. (Sp. p. 181) § 41. ὅτι δ' οὕτω ἔχει, τὰ μὲν νῦν ὁρᾶτε δήπου καὶ οὐδὲν ἐμοῦ προσδεῖσθε μάρτυρος· τὰ δ' ἐν τοῖς ἄνωθεν χρόνοις ὅτι τἀναντία εἶχεν, ἐγὼ δηλώσω, οὐ λόγους ἐμαυτοῦ λέγων, ἀλλὰ γράμματα τῶν προγόνων τῶν ὑμετέρων [δεικνύων], ἃ κεῖνοι κατέθεντο εἰς στήλην χαλκῆν γράψαντες εἰς ἀκρόπολιν [οὐχ ἵν' αὐτοῖς ᾖ χρήσιμα, καὶ γὰρ ἄνευ τούτων τῶν γραμμάτων τὰ δέοντα ἐφρόνουν, ἀλλ' ἵν' ὑμεῖς ἔχητε ὑπομνήματα καὶ παραδείγματα ὡς ὑπὲρ τῶν τοιούτων σπουδάζειν προσήκει· τί οὖν λέγει τὰ γράμματα;] »Ἄρθμιος « φησὶν » ὁ Πυθώνακτος ὁ Ζελείτης ἄτιμος καὶ πολέμιος κτλ. Ac primum quidem vocabulum δεικνύων Spengelius testimonio ductus Aristidis, qui pag. 354 verbis οὐ λόγους ἐμαυτοῦ λέγων, ἀλλὰ γράμματα τῶν ὑμετέρων προγόνων utitur σεμνότητος exemplo, reprobare non dubitat, cum ex praecedentibus λέγων facile suppleri possit. At potest hoc non sòlum, sed debet, cum vocabulum illud in pr. Σ et pr. Laur. non legatur et orator in Pnyce stans nequeat dicere se δεικνύναι τὰ γράμματα τὰ εἰς ἀκρόπολιν κατατεθέντα (Voem.), de quibus § 42 verba tantummodo facit. Alterum vero additamentum Spengelius ab ipso Demosthene profectum et sine dubio cum secundis curis tractaret orationem additum esse contendit. Quin e Dinarcho (in Arist. 25) eadem de causa audientibus similia quaedam commendante colligendum sibi esse putat, mirum profecto fuisse futurum, si Demosthenes, cui maxime esset proprium, ut Athenienses quam saepissime ad optima quaeque cohortaretur, hoc loco id praetermisisset. Quod quam leve ac futile sit haud difficile est ad intellegendum. Primum enim hoc loco Dinarchi exemplo nihil prorsus probatur. Deinde

nulla inveniri potest ratio, quam secutus Demosthenes cum denuo elaboraret orationem verba illa addenda sibi esse censuerit. Tum constat priscos Athenienses non eo consilio nomina et crimina columnae inscripsisse, ut ὑπομνήματα καὶ παραδείγματα (Vat.), aut, ut est alia lectio eaque vacillans ideoque suspiciosa, ὑποδείγματα καὶ παραδείγματα (Pal. Ald. Man.) aut παραδείγματα καὶ ὑπομνήματα (sec. Laur.), quibus uterentur, posteris proderent, sed ut reum etiam apud omnem posteritatem infamem redderent. Tum omnino non fuit necessarium certis quibusdam verbis rationem quae est inter φησὶν et γράμματα indicari neque aut vocabulo φησίν § 42 denuo adponi τὰ γράμματα vel ταῦτα, aut antea Demosthenem se ad verbum recitare plebiscitum diserte dicere, cum verbis ταῦτ' ἐστὶ τὰ γράμματα statim hoc se fecisse profiteatur. Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin additamentum illud, quod Spengelius dicit aptissimum, Voemelius frigidam continere sententiam, cum omittant pr. Σ et pr. Laur. de textu sit excerpendum.

8. (Sp. p. 177) § 32. καί τοι τί τῆς ἐσχάτης ὕβρεως ἀπολείπει; οὐ πρὸς τῷ πόλεις ἀνηρηκέναι τίθησι μὲν τὰ Πύθια, τὸν κοινὸν τῶν Ἑλλήνων ἀγῶνα, κἂν αὐτὸς μὴ παρῇ, τοὺς δούλους ἀγωνοθετήσοντας πέμπει; [κύριος δὲ Πυλῶν καὶ τῶν ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας παρόδων ἐστὶ καὶ φρουραῖς καὶ ξένοις τοὺς τόπους τούτους κατέχει; ἔχει δὲ καὶ τὴν προμαντείαν τοῦ θεοῦ παρώσας ἡμᾶς καὶ Θετταλοὺς καὶ Δωριέας καὶ τοὺς ἄλλους Ἀμφικτύονας ἧς οὐδὲ τοῖς Ἕλλησιν ἅπασι μέτεστιν;] γράφει δὲ Θετταλοῖς ὃν χρὴ τρόπον πολιτεύεσθαι; πέμπει δὲ ξένους τοὺς μὲν εἰς Πορθμὸν τὸν δῆμον ἐκβαλοῦντας τὸν Ἐρετριέων, τοὺς ἐπ' Ὠρεόν, τύραννον Φιλιστίδην καταστήσοντας; — Quamvis Spengelio displiceat verborum collocatio, quod προμαντεία Pylarum interposita mentione a Pythiis disiungatur, nec minus ei offensioni sit verborum ξένοις et ξένους, Θετταλοὺς et Θετταλοῖς repetitio, tamen facere non potest quin additamentum illud

a Demosthene orationem retractante confectum arbitretur: neque enim si defuisset cod. Σ, unquam ait futurum fuisse ut cuiquam hoc in loco haesitare in mentem veniret. Atqui habemus codicem Σ et reperto Laurentiano cum Σ conspirante offensio etiam aucta est. Itaque non iam licet cum Spengelio (« Die Δημηγ. des Demosth. » p. 68) dicere, rerum explicationem convenientem temporum rationi hoc loco omnino non expectari. Immo vero postulamus eam et alia etiam nobis videntur vitiosa. Etenim non est Demosthenis — quod recte viderunt Benselerus (p. 72 edit.) et Voemelius (ad h. l.) — et synonyma cumulare (Πυλῶν καὶ τῶν ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας παρόδων — φρουραῖς καὶ ξένοις) et rustice eadem vocabula repetere (τῶν Ἑλλήνων.... πέμπει... τοὺς Ἕλληνας... ξένους... κατέχει; ἔχει... τοῖς Ἕλλησιν... πέμπει δὲ ξένους). Etiam ἧς (sc. τῆς προμαντείας) οὐδὲ τοῖς Ἕλλησιν ἅπασι μέτεστι, cum praecedat ἔχει δὲ καὶ τὴν προμαντείαν minus accurate videtur esse dictum. Qui vero factum sit, ut Benselerus etsi vitia illa in lucem prodidit et verba notata in editionem suam non recepit, eadem tamen postea quod aptissima essent genuina praedicare non dubitaverit, haud facile est ad intellegendum. Weilio denique, qui nuperrime (in Fleckeisenii Annal. philol. 1870, p. 541) Spengeliarum suscepit sententiarum patrocinium — aptiore postea loco uberius de eo erit disputandum — enunciata illa uncis inclusa non solum cum historiarum memoria congruere sed optime etiam composita esse videntur. Namque ea mirum in modum ait sententiam illam, quae appositione τὸν κοινὸν τῶν Ἑλλήνων ἀγῶνα ad τὰ Πύθια pertinente extremis quasi lineamentis adumbrata sit, amplecti atque persequi. Etenim omnium Graecorum indignationem moveri necesse esse, cum barbarum videant in liberos dominari Graecos et quae horum sint audacissime sibi arrogare. Porro vocabulum Ἕλληνες — id quod Voemelius vituperavit — Weilio consilio

ac ratione repetitum est. Aptius sane et sententiarum nexui accomodatius putat fuisse futurum, si duo illa enunciata inverso posita essent ordine: quod tamen ex oratoria imprimis verborum collocatione satis posse explicari. Itaque non iam esse dubium — atque hoc idem sentit Spengelius — quin qui in remotissima oratoris consilia penetraverit, ita ut hunc in modum orationem emendaret, nemo alius quam ipse fuerit Demosthenes. At unde — ita iure quaeritur — Weilius oratoris consilia habet explorata? Nonne in breviore textu omnia sine ulla offensione optime procedunt? Et quid de correctoris ingenio et sagacitate iudicabimus, si Weilius facere non potest quin in textu amplificato multa reprehendat, alia quod cum oratoris consilio bene conveniant suo tantum tanquam rhetoris cuiusdam arbitrio ductus summis efferat laudibus? Nonne id, quod primo loco posuit Weilius, ansam quandam praebet ad additamenti illius ortum indagandum? Talibus enim locis constat rhetores grammaticosque libentissime fuisse usos, ut historiarum scientiam ex oratoris lectione petitam ostentarent. Itaque non iam videtur esse improbabile, rhetorem aliquem ab iisdem fere atque Weilium profectum rationibus ex orat. de falsa leg. § 327 ἀντὶ δὲ τοῦ τὰ πάτρια ἐν τῷ ἱερῷ κατασταθῆναι καὶ τὰ χρήματα εἰς-πραχθῆναι τῷ θεῷ οἱ μὲν ὄντες Ἀμφικτύονες φεύγουσι καὶ ἐξελήλανται, καὶ ἀνάστατος αὐτῶν ἡ χώρα γέγονεν, οἱ δ' οὐπώποτ' ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ γενόμενοι Μακεδόνες καὶ βάρβαροι, νῦν Ἀμφικτύονες εἶναι βιάζονται· ἐὰν δέ τις περὶ τῶν ἱερῶν χρημάτων μνησθῇ, κατακρημνίζεται, ἡ πόλις δὲ τὴν προμαντείαν ἀφῄρηται amplificandi sumpsisse materiam. Sed quid multa? Auctoritatem sequamur codicum et cum pr. Σ et pr. Laur. reiciamus additamentum.

9. (Sp. p. 191) § 71. ταῦτα δὴ πάντα αὐτοὶ παρεσκευασμένοι καὶ ποιήσαντες φανερὰ τοὺς ἄλλους ἤδη παρακαλῶμεν καὶ τοὺς ταῦτα διδάξοντας ἐκπέμπωμεν πρέσβεις [πανταχοῖ, εἰς Πελοπόν-

νησον, εἰς Ῥόδον, εἰς Χίον, ὡς βασιλέα λέγω, οὐδὲ γὰρ τῶν ἐκείνῳ συμφερόντων ἀφέστηκε τὸ μὴ τοῦτον ἐᾶσαι πάντα καταστρέψαθαι], ἵν' ἐὰν μὲν πείσητε, κοινωνοὺς ἔχητε καὶ τῶν κινδύνων καὶ τῶν ἀναλωμάτων ἄν τι δέῃ, εἰ δὲ μή, χρόνους γε ἐμποιῆτε τοῖς πράγμασιν.

Quod suadeat orator ut ad Persarum regem legati mittantur et cur ita censeat aptissimam subiungat rationem, id Spengelius contendit vere esse Demosthenicum. Sed cum priore disputatione sua concedat sententiam etiam sine locorum commemoratione omnibus numeris esse perfectam, posteriore longe aliter sentit. Etenim cum insulae Rhodus et Chius amissa libertate id temporis in Idriei satrapis Cariae, Mausoli fratris, potestate fuerint, ita ut earum commemoratio difficilis sit atque prorsus inexplicabilis, interpolationem statuere non dubitat. Eadem de causa et quia desunt verba in pr. Σ editores Turicenses, Frankius, Bekkerus, Funkhaenelius, Westermannus, Benselerus, ea deleverunt. Contra Voemelius, qui alioquin cum pertinacia quadam codicem Σ sequitur, additamentum in Σ demum manu XIV saeculi suppletum vult esse genuinum. Ad hoc probandum tamen tam mirum confingit scribae errorem, ut iure eum rideat Spengelius (« Die Δημηγορίαι des Demosthenes » 1860, p. 73, adn. 1). Verum adfert etiam historiarum scriptorum testimonia. Nam cum Diodor. XVI, 75, Arrian. Exped. Alex. II, 14, 9, Pausan. I, 29, 7, Artaxerxem Ochum referant Apollodoro Atheniensi duce Perinthiis contra Philippum Olymp. CIX, 4, tulisse auxilium, nec minus Rhodios, Chios, alios Olymp. CX, 1 Byzantiis contra eundem auxiliares misisse copias, colligit Voemelius Demosthenem necesse esse illas legationes — de Peloponneso tantum res est nota — Olymp. CIX, 3 anno huius Philippicae habitae rogavisse. Quod quidem tam temere mihi dictum videtur, ut eisdem quibus Voemelius ductus testimoniis contrarium affirmare non dubitem. Etenim

quam rationem § 65 subesse exposuimus, eadem etiam hoc loco non minorem habet speciem veri. Itaque dubitari non poterit, quin grammaticus quidam, cum quae post facta sunt reminisceretur, verba illa sua quidem sententia rerum conditioni optime convenientia addiderit. Sequitur igitur ut additamentum quamvis una adiuti codicis Σ auctoritate e textu eiciamus.

10. Neque aliter videtur esse iudicandum de oratorum nominibus § 72 in Vulg. edit. servatis, quos Spengelius (v. lib. eius a. 1839 scr. p. 188; a. 1860 scr. p. 72) ab ipso Demosthene profectos esse putat. In codice enim Σ leguntur haec : αἱ πέρυσι πρεσβεῖαι περὶ τὴν Πελοπόννησον ἐκεῖναι καὶ κατηγορίαι, ἃς ἐγὼ καὶ Πολύευκτος ὁ βέλτιστος ἐκεινοσὶ καὶ Ἡγήσιππος καὶ οἱ ἄλλοι πρέσβεις περιήλθομεν, Vulgata vero post Ἡγήσιππος ponit: καὶ Κλειτόμαχος καὶ Λυκοῦργος, Aug. 1 Harl. Urb. eadem nomina (Rehd. tantum καὶ Λυκοῦγος sine καὶ Κλειτόμαχος) exhibent post βέλτιστος, Cod. Dresd. etiam addit καὶ Ἵππαρχος. Quae omnia certissime probant locum esse interpolatione auctum, quam ipsius oratoris verba καὶ οἱ ἄλλοι πρέσβεις eodem modo provocaverunt atque περὶ συντάξ. § 29 coll. c. Olynth. III, 26. Aristocr. § 207. Brevior codicis Σ lectio omnium quos Bekkerus adhibuit codicum B. Ω. β. γ. Pal. 1. Vind. 1. 3. 4. Aug. 3. Y. Harr. concentu ita videtur stabilita, ut adiecta nomina, quae scholiastis — id quod recte animadvertit Funkhaenelius (ep. grat. ad G. Herm. data l. cit. p. 30) — ex Atheniensium annalibus nec minus e libris ὑπομνηματιστῶν de Demosthene conscriptis nota esse poterant, ut spuria delere nihil dubitemus.

Atque haec hactenus de additamentis, quae res continent ex historiarum memoria petitas. Maioris etiam momenti sunt, quae §§ 6 et 7 et § 46 inveniuntur. Haec Spengelium putare qua tradita sint forma ab ipso Demosthene confecta esse iam consentaneum est. Sed fieri non potest, ut iam

hoc loco §§ 6 et 7 omnibus circumspectis rebus omnibusque adhibitis interpretum argumentis accuratius tractemus. Id potius alia disputationis parte faciendi nobis facultas est futura. Priusquam igitur in percensenda Spengelii de additamentorum ortu sententia subsistamus, nunc quid ille de § **46** iudicaverit quantum hoc loco fieri potest examinabimus.

§ **46**. ἐκ δὲ τούτων εἰκότως τὰ τῶν Ἑλλήνων ἦν τῷ βαρβάρῳ φοβερά, οὐχ οἱ βάρβαροι τοῖς Ἕλλησιν, ἀλλ' οὐ νῦν· οὐ γὰρ οὕτως ἔχεθ' ὑμεῖς οὔτε πρὸς τὰ τοιαῦτα οὔτε πρὸς τἆλλα, ἀλλὰ πῶς; [ἴστε αὐτοί· τί γὰρ δεῖ περὶ πάντων ὑμῶν κατηγορεῖν; παραπλησίως δὲ καὶ οὐδὲν βέλτιον ὑμῶν ἅπαντες οἱ λοιποὶ Ἕλληνες· διόπερ φημὶ ἔγωγε καὶ σπουδῆς πολλῆς καὶ βουλῆς ἀγαθῆς τὰ παρόντα πράγματα προσδεῖσθαι. τίνος;] εἶπω; κελεύετε καὶ οὐκ ὀργιεῖσθε;

ΕΚ ΤΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΕΙΟΥ ΑΝΑΓΙΓΝΩΣΚΕΙ.

Ἔστι τοίνυν τις εὐήθης λόγος κτλ.

Ac primum quidem Spengelius quae in cod. Σ legerentur verba ea initio putat scripsisse Demosthenem. His igitur quaerere oratorem ex Atheniensibus, liceatne sibi levitatis atque neglegentiae exempla ex actis publicis petenda proferre, ita ut non moveat eorum indignationem. Concedo. Sed ita fere pergit Spengelius: Haec exempla, inquit, gravia atque insignia fuisse debent neque immerito orator iram civium metuisse videtur. Nam cum retractaret orationem, verba illa plane eum omisisse, ea nimirum de causa, quod ipsi Athenienses rem quae ageretur haud ignorarent et reliqui Graeci omnes non aliter se haberent. Itaque Demosthenem vult hunc in modum correxisse: ἀλλ' οὐ νῦν· οὐ γὰρ οὕτως ἔχεθ' ὑμεῖς οὔτε πρὸς τὰ τοιαῦτα οὔτε πρὸς τἆλλα, ἀλλὰ πῶς; ἴστε αὐτοί, τί γὰρ δεῖ περὶ πάντων ὑμῶν κατηγορεῖν; παραπλησίως δὲ καὶ οὐδὲν βέλτιον ὑμῶν ἅπαντες οἱ λοιποὶ Ἕλληνες· διόπερ φημὶ ἔγωγε καὶ σπουδῆς πολλῆς τὰ παρόντα πράγματα προσδεῖσθαι· ἔστι τοίνυν τις κτλ. Verba εἶπω; κελεύετε

καὶ οὐκ ὀργιεῖσθε; ΕΚ ΤΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΕΙΟΥ ΑΝΑΓΙΓΝΩΣΚΕΙ post correctionem illam ait fuisse delenda, sed quamquam novum additamentum suo statim loco fuerit insertum, tamen verba illa intacta mansisse et ne deesset coniunctio quaedam cum praecedentibus additum esse τίνος. Atque haec Spengelius a. 1839. Verum altera disputatione a. 1860 scripta iudicium suum partim rescindit ita, ut responsum, quod post verba ἀλλὰ πῶς — ὀργιεῖσθε necessario exspectetur, neque reticentia quadam neque §§ 54 sqq. neque scripto illo quod in titulo sit memoratum, sed Vulgatae editionis verbis opinetur contineri. Totius loci confusionem ortam esse ex verbis perperam insertis; nam si scribatur ἀλλὰ πῶς; εἶπω; κελεύετε καὶ οὐκ ὀργιεῖσθε; deinde Vulgatae verba ἴστε αὐτοί — προσδεῖσθαι hisque statim omisso titulo in cod. Σ adiungantur illa ἔστι τοίνυν κτλ., omnem tolli difficultatem nec iam esse necessarium per ipsum oratorem statuere mutatam esse loci sententiam: unum transitum per particulam τοίνυν factum offensioni esse. Sed cur ita sentiat — ut inde initium faciam — non intellegitur. Tantum enim abest ut τοίνυν semper conclusionem significet — id quod Spengelius hoc loco pro certo videtur sumere —, ut sexcenties a Demosthene usurpetur ad transitum parandum a praecedente quadam sententia ad novam quae sequatur, ut Lept. §§ 5, 7, 8, 15, 18, 24, 41, 48, 49, 51, 105, 112, 118, 120, 136. Sed quod Spengelius duas recensiones censet quasi quodam modo esse mixtas, ipse Weilius, quem supra commemoravi, laudare atque comprobare non potest. Neque hoc mirum est. Nam qui verbis εἶπω; κελεύετε καὶ οὐκ ὀργιεῖσθε; ab Atheniensibus ut bona venia se audiant petit eisdemque se locuturum esse clare significat, facere non potest ut statim desistat proposito et missis eis quae audientes moleste sint laturi aliud prorsus ineat consilium. Tamen ille una priore Spengelii sententia omnem loci difficultatem arbitratur enucleari.

Quod utrum iure censeat nec ne post accuratius erit anquirendum. Hoc loco satis habeo Spengelii sententiam in medio posuisse. Ea tantum, si placet, adiungam, quae ad fulciendam illam atque persequendam Weilius protulisse sibi videtur.

Is igitur cum Spengelio in eo consentit, quod Demosthenem vult orationem suam post secundis curis repetisse multisque auxisse additamentis. Sed cum horum ille ortum Demosthenicum plerumque aut praedicet aut neget, Weilius eo procedit, ut non codices Σ et Laur. dicat breviorem, reliquos vero longiorem praebere scripturam, sed in his recensionem alteram ad alteram simpliciter sine ullis coniunctionis vinculis esse adnexam. Quam tamen coniecturam tribus tantum vel quatuor locis probare conatus est. In his sunt additamenta § 37: χαλεπώτατον ἦν τὸ δωροδοκοῦντα ἐξελεγχθῆναι καὶ τιμωρίᾳ μεγίστῃ τοῦτον ἐκόλαζον [καὶ παραίτησις οὐδεμία ἦν οὐδὲ συγγνώμη]· et § 39: ταῦτα δ' ἐστὶ τί; ζῆλος εἴ τις εἴληφέ τι, γέλως ἂν ὁμολογῇ, [συγγνώμη τοῖς ἐλεγχομένοις] μῖσος ἂν τούτοις τις ἐπιτιμᾷ· τἆλλα πάνθ' ὅσα ἐκ τοῦ δωροδοκεῖν ἤρτηται: quae Spengelius eumque secuti omnes fere interpretes Demostheni merito abiudicaverunt. Quid vero Weilius? Enuntiatum illud § 37 in Vulg. traditum καὶ παραίτησις οὐδεμία ἦν οὐδὲ συγγνώμη cum post praecedens καὶ τιμωρίᾳ μεγίστῃ τοῦτον ἐκόλαζον serius veniat, ab oratore opus suum retractante opinatur in huius locum esse adscriptum, ita ut in utraque recensione huius loci sententia tripertita sit. Nec minus § 39 verba συγγνώμη τοῖς ἐλεγχομένοις, quae prope sequentia μῖσος ἂν τούτοις τις ἐπιτιμᾷ, quod dativus neutrius generis τούτοις oblique referatur ad personas vocabulo τοῖς ἐλεγχομένοις significatas, locum habere non possint, verborum καὶ παραίτησις οὐδεμία ἦν οὐδὲ συγγνώμη sine dubio ratione habita vult esse adscripta, ut loco sequentium μῖσος, ἂν τούτοις τις ἐπιτιμᾷ legerentur: utramque variam

lectionem vinculo quodam inter se contineri et optime concinere. Atque illud quidem haud scio an quisquam etiamsi non faciat cum Weilio facile concedat, ita ut additamenta ad eundem auctorem videantur referenda. Quid vero sibi velit admirabilis ille concentus difficilius est ad intellegendum. Qua enim ratione Demosthenem imprimis ductum esse putabimus, ut pro sententia gravi atque insigni et ad rem ipsam illustrandam accommodatissima ipse poneret tenuem atque frigidam, quam vel Spengelius facere non potest quin vehementer reprehendat? An metu aut indulgentia? Minime vero. Id enim Weilius exemplis probare debuit has ac tales omnino rationes Demosthenem secutum esse unquam, tum qui fieri potuerit ut ipse orationum suarum vim et gravitatem levissimis additamentis infringeret. Verum enim vero hoc a rhetoribus grammaticisque saepissime esse factum quis est qui nesciat? Itaque posthabita Weilii coniectura iudicium nostrum de §§ 37 et 39 interpolationibus supra positum teneamus necesse est.

Sed redeamus ad illud, unde devertimus. Etiam quae de § 46 disputavit Weilius non talia sunt, ut quivis ea possit agnoscere. Namque hoc etiam loco opinatur duas servari recensiones leviter inter se nexas. Itaque, ut supra iam dixi, unum laudat Spengelium, qui dissertatione a. 1839 scripta hac de re primus recte iudicaverit. Sed difficultates, quibus Weilii explicandi ratione implicamur, multo maiores sunt quam unquam fuerunt antea. Nisi enim ait ille libere profiteri velimus, nos scriptum illud recitatum ne cogitatione quidem depingere posse, duplicem modo superesse condicionem: Demosthenem aut in animo habuisse breviorem optimorum codicum Σ et Laur. textum uberiore disputatione, quam litteris non mandaverit, amplificare aut § 47 sq. voluisse deleri, ut post οὐκ ὀργιεῖσθε; statim pergeretur verbis § 54 εἰς τοῦτο ἀφῖχθε μωρίας ἢ παρανοίας κτλ. Quod utrum-

que omni modo reiciendum est. Atque hoc quidem ea de causa, quod nulla re nos adduci posse puto, ut omnem aversati recensendi fontem ac principium, codices manu scriptos, in tractandis gravissimi oratoris verbis opinioni quam esse ille vult in nobis positam et voluntariam tantum ponderis atque dignitatis tribuamus. Illam vero coniecturam quam primo loco posuit Weilius pari modo reprobabimus. Iam ipse spero me cum optimis testibus, codicibus videlicet Σ et Laur., rem quasi esse transacturum.

Quae cum ita sint, cum Spengelius primum neque omnino iudicio suo stare aut in eis, quae universa Demostheni vindicare studet, quaedam vitiosa aut rei aliena esse negare possit neque in adhibendis veterum rhetorum grammaticorumque testimoniis sibi ipsi constet; deinde in tractandis Vulgatae additamentis quae vult esse genuina non solum omni fere neglecta codicum auctoritate certissimam plerumque interpolationis notam, variam variorum codicum in uno eodemque loco verborum collocationem, nihil curet; denique cum Spengelius eique consentiens Weilius arbitrariam prorsus existimandi rationem secutus multa abiudicet Demostheni, alia contemptis argumentis extrinsecus petitis et unice causarum in ipsa oratione positarum ratione habita ex unius Demosthenis ingenio fluxisse contendat: conatum eius infelicem atque irritum iudicare non dubitabimus.

Postquam de Dindorfii et Spengelii sententiis satis multa fecimus verba, tertium restat genus eorum, qui illorum aversati inconstantiam unum codicem Σ Demosthenis manum exhibere arbitrantur. Ad optimi illius codicis fidem et auctoritatem defendendam primus in arenam quasi descendit *Funkhaenelius* eumque secuti sunt *Baiterus*, *Sauppius*, *Ruedigerus*, *Frankius*, *Doberenzius*, *Westermannus*. Qui omnes iudicandi rationem ab illo traditam amplexi sunt.

Putaverunt igitur quaecunque deessent in codice Σ ea prorsus esse eicienda. Atque hoc tenuerunt illi, donec *Voemelius* editionem suam contionum Demosthenis uberrimo apparatu critico instructam anno 1857 foras dedit. Qua ad solvendam quaestionem nostram apparet duas quasi vias fuisse apertas. Namque aut ingens illa variarum lectionum collectio magno argumento est principatum inter libros manu scriptos codici Σ in omnem perpetuitatem iure esse tribuendum in eoque iam esse, ut critici langueant otio, interpretes suo munere fungantur, aut ex apparatu illo tanquam optimo armamentario tela sunt petenda quibus codicis Σ auctoritatem, quae reperto codice Laur. crescere etiam videbatur, imminuamus et latiore quasi fundamento subnixi artem criticam cum maiore libertate faciamus. Atque hac de re postea accuratius erit disputandum: illud vero si respicimus, omnes quos modo memoravi viros doctos et in his etiam inde ab anno 1860 *Schultzium* apparet congregari. Qui quae ad defendendam breviorem codicis Σ lectionem attulerint nunc videamus. Sed dies me deficiat, si omnes deinceps locos velim enumerare, quos illi variis additamentis vel pronominibus vel particulis vel verbo εἶναι eiusque formis vel praepositionibus vel rhetorum grammaticorumve amplificatione auctos esse recte iudicaverint; sunt enim haec per se clara et doctorum virorum consensu certa neque in eis opus est exemplis aut tempore abuti: ad ea statim additamenta mihi transeundum esse duco, in quibus totius quaestionis cardo vertitur.

Huc imprimis referendus est § **46**, de quo pauca iam ante diximus.

§ **46**. ἀλλ' οὐ νῦν· οὐ γὰρ οὕτως ἔχεθ' ὑμεῖς οὔτε πρὸς τὰ τοιαῦτα οὔτε πρὸς τἆλλα, ἀλλὰ πῶς; [ἴστε αὐτοί· τί γὰρ δεῖ περὶ πάντων ὑμῶν κατηγορεῖν; παραπλησίως δὲ καὶ οὐδὲν βέλτιον

ὑμῶν καὶ ἅπαντες οἱ λοιποὶ Ἕλληνες· διόπερ φημὶ ἔγωγε καὶ σπουδῆς πολλῆς καὶ βουλῆς ἀγαθῆς τὰ παρόντα πράγματα προσδεῖσθαι, τίνος;] εἶπω; κελεύετε καὶ οὐκ ὀργιεῖσθε;

ΕΚ ΤΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΕΙΟΥ ΑΝΑΓΙΓΝΩΣΚΕΙ

47. Ἔστι τοίνυν τις εὐήθης λόγος παρὰ τῶν παραμυθεῖσθαι βουλομένων τὴν πόλιν, ὡς ἄρα οὔπω Φίλιππός ἐστιν οἷοί ποτ' ἦσαν Λακεδαιμόνιοι....

Atque hoc de loco viri docti varias et dissidentes inter se protulere sententias. Alterum est genus eorum (*A*), qui verba illa uncis inclusa ἴστε - τίνος ab ipso Demosthene profecta esse statuunt, alterum eorum (*B*), qui ut spuria eiciunt.

A. Et illarum partium sunt *Spengelius et Weilius*, ut iam vidimus, neque minus *Benselerus* et *Rehdantzius*.

Primum cum Spengelius quamvis cum Weilio vocabulum τίνος qua ratione in textum venerit optime exponat, tamen verba εἶπω; κελεύετε; καὶ οὐκ ὀργιεῖσθε; anno 1839 simpliciter eiciat, anno 1860 vero ante ἴστε αὐτοί ridicule denuo interponat neque ullo verbo qui iam sit sententiarum nexus explanet, apparet eum neque sibi ipsi constitisse neque ullo modo ipsam rei difficultatem solvisse. Recte igitur Funkhaenelius iam anno 1841 dixit Spengelium, si alia ratione scripturarum tantam discrepantiam enodare potuisset, non ita iudicaturum fuisse.

Deinde quod Benselerus in codicis Σ lectione offendit, tam futile ac leve est, ut nulla fere disputatione egere videatur. Etenim demonstrare putat oratorem sequentibus, quantopere res militaris mutaverit, neque quidquam in his esse, quod ad iram aliquem concitare possit. Quod cum nihilominus verbis titulo illo ἐκ τοῦ γραμματείου ἀναγιγνώσκει indicatis velit contineri, intellegi nullo modo potest, cur illud recepta demum Vulgatae lectione fieri statuendum sit. Et

quomodo Benselerus sententiam suam omnino tueri potest, quippe qui titulum illum ante § 42 coniciat esse inserendum? Quod quidem re leviter modo considerata visum quendam habet insignem, quin etiam rectum esset, si res ita se haberet ut περὶ παραπρεσβ. § 270, quo loco Demosthenes scribae γράμματα ἐκ στήλης tradit recitanda idque facit cum his verbis: « ταυτὶ λαβὼν ἀνάγνωθι, γραμματεῦ — λέγε ». Γράμματα ἐκ στήλης — et § 271 pergit « ἀκούετε. ». Contra § 42 orator verba in aere incisa ex memoria exponit (οὐ λόγοις ἐμαυτοῦ λέγων, ἀλλὰ γράμματα τῶν προγόνων τῶν ὑμετέρων κτλ.) et nostro loco eum verisimile est in animo habuisse documenta e reipublicae tabellario petita recitare, quae qua levitate et socordia Athenienses in proditores uterentur optime declararent: atque haec exempla vel Spengelius censet fuisse gravia et insignia.

Sed longe aliter sentit Rehdantzius. Is enim plane oblitus rationem suam iudicandi ceterum egregiam, de qua postea erit disserendum, unum hoc loco respicit sententiarum nexum. Itaque bonum quod Vulgatae verba referunt consilium putat intercidisse et titulo tantummodo indicari. Atque suasisse Demosthenem, ut cum omnes inter se Graeci tum Athenienses cum Thebanis quamvis invisis pari condicione et missa omni aemulatione — id enim populi iram facile inflammare potuisse — foedus firmissimum facerent. Nec vero haec Rehdantzio sufficiunt, sed scriptum illud praeter bonum consilium opinatur complexum fuisse commentarium quasi quendam de rebus publicis, de Graecorum et Macedonum copiis et fortasse etiam de foedere cum omnibus Graecis feriendo. Tum demum, ita concludit ille, non solum rogationem a Demosthene re vera latam (§ 71): τοὺς ἄλλους παρακαλῶμεν κτλ. sed etiam iunctionem cum sequentibus Ἔστι τοίνυν κτλ. explicari. Sane illa magno ingenii acumine inventa et conficta sunt, verum Rehdantzium longissime abesse a vero et

B. Codices Σ et Laur. solos genuina Demosthenis verba exhibere *Drewesius* (in programm. Brunsvic. a. 1866, cui inscriptum est « Ueber die Kunst und den Charakter der III. Philipp. Rede des Demosthenes » et in Fleckeisenii Annal. philol. 1868. I. pag. 139) argumentis ex ipsa oratione petitis luculentissime exposuit. Etenim hoc loco i. e. in media oratione summi profecto momenti est sententiarum ordo et nexus. Itaque quae viri docti sermonis Graeci — ut dicunt — legibus ducti contra Vulgatae lectionem disputaverunt, ea omnia reicienda videntur. Nihil enim refert utrum Demosthenes προςδεῖσθαι, quo verbo Funkhaenelius offenditur, an δεῖσθαι scripserit, cum et hoc et illud levissima scilicet correctione adhibita dicere posset. Nihil porro refert utrum verba οἱ λοιποὶ Ἕλληνες hiatum, qui Benselero offensioni est adeo, ut vocabulum Ἕλληνες putet sibi esse delendum, contineant nec ne, cum Demosthenem hiatum non tam anxie quam vult Benselerus vitasse manifestum sit.

Etiam quod Schultzius vult verba τί γὰρ δεῖ περὶ πάντων ὑμῶν κατηγορεῖν; παραπλησίως δὲ καὶ οὐδὲν βέλτιον ὑμῶν ἅπαντες οἱ λοιποὶ Ἕλληνες e Demosthenis ingenio fluxisse statui non posse, qui quemadmodum nullam praetermiserit occasionem, qua Athenienses e socordia excitaret, etiam paullo post § 54 sq. cives suos graviter ob socordiam incuset: id prorsus inane est neque ulla omnino ab eo probatur ratione. Verum enim vero Drewesius quibus vinculis totius orationis sententiae alia ex alia nexa et omnes inter se aptae et colligatae sint accuratissime demonstravisse mihi videtur. Primum enim cum Spengelius (a. 1839) et Rehdantzius verba κελεύετε καὶ οὐκ ὀργιεῖσθε; adeo non explicare potuerint, ut ille ea una cum vocabulo εἶπω; a. 1860 post ἀλλὰ πῶς; male insereret, Drewesius quid illa sibi velint optime intellegi posse docet, si hic statuatur sen-

tentiarum nexus: Demosthenem ait Atheniensibus non quidem bonum dedisse consilium — tum enim nihil eum quaerere oportuisse κελεύετε; καὶ οὐκ ὀργιεῖσθε; — sed levitatem et socordiam qua in patriae proditores uterentur exprobrasse et quae inde sequerentur mala barbarorum imprimis ratione habita (τὰ τῶν Ἑλλήνων ἦν τῷ βαρβάρῳ φοβερά) ante oculos quasi posuisse. Iam si Vulgata genuinam oratoris praebet manum, quod vult Rehdantzius, ita ut Demosthenes scripto illo exposuerit magnam praesenti rerum condicione (σπουδὴν πολλὴν καὶ βουλὴν' ἀγαθήν), denique si hoc iam loco de rebus gerendis tulit rogationem: qui fieri potest, ut § 70 denuo quasi quaerat τί ποιῶμεν? Nonne rogationem quae est § 70 iam § 46 contineri putabimus? Etenim nullo modo concedi potest, si Rehdantzii sequamur sententiam — mitto nimirum opiniones eius de scripto illo prolatas, — si igitur in media oratione Demosthenem statuamus illam rogationem tulisse, tum demum orationem vere procedere. Nam sententiarum contra continuatio Vulgatae additamento prorsus tollitur. Idem sequitur, si ad sententiarum ordinem, quem per totam orationem secutus est Demosthenes, accuratius respicimus. Namque ubi § 4 tanquam argumentum et primariam sententiam posuit illa καὶ γὰρ εἰ πάνυ φαύλως τὰ πράγματ' ἔχει καὶ πολλὰ προεῖται, ὅμως ἔστιν, ἐὰν ὑμεῖς τὰ δέοντα ποιεῖν βούλησθε, ἔτι πάντα ταῦτα ἐπανορθώσασθαι, Demosthenes prima orationis parte usque ad § 46 loquitur de mala rerum Graecarum condicione, id est de externis atque intestinis quae immineant periculis. Et ab illis cum initium dicendi sumat primum exponit re vera Philippum bellum gerere in Athenienses (§ 8-19), deinde (§ 21-35) quantas inimicitias ille Graecorum adiutus discordia et levitate in eos omnino exercuerit. Paragr. 36 vero ad intestina pericula tanquam externorum causam conversus usque ad § 46 aequales ait morbo quasi

quodam laborare gravissimo, proditorum videlicet neglegentia, quos a maioribus severissime castigatos esse Arthmii docere exemplum. Altera parte (§ 47-70) explicat Demosthenes, quid ad adversarios et externos et intestinos propulsandos sit faciendum. Itaque suadet primum ut ipsi Philippo inferant bellum (§ 47-52), deinde Olynthiorum, Eretriensium, Oritarum exemplo moniti pecunia corruptos oderint ab eisque proditionis repetant poenas (§ 52-62): et his (§ 63-68) statim adiunguntur talia, quibus impellantur Athenienses ad res ita gerendas ut postulat Demosthenes. Tum demum sequitur (§ 70-75) quae proprie vocatur propositio, qua orator quo modo defensio libertatis ab externis et intestinis inimicis in summum periculum vocatae paranda sit exponit. Et ut per totam orationem per duo membra fit sententiarum structura, ita hoc etiam loco Demosthenes duplex proponit consilium, primum ut Athenienses prae ceteris quam maxime instruant bellum, deinde reliquas Graecorum civitates ad bellum convocent in communem patriae hostem faciendum. — Hac in sententiarum continuatione eis, quae Rehdantzius in media oratione vult collocari, nihil est loci. Etenim si quae § 70-75 continentur iam post § 46 essent tractata, vix dici potest quantopere — id enim necessario sequitur, si Rehdantzius recte sentit — vis propositionis aptissime in fine positae et verbis τί ποιῶμεν; πάλαι τις ἡδέως ἂν ἴσως ἐρωτήσων κάθηται (§ 70) cum gravitate quadam inductae attenuata atque infracta esset. Et quo modo propositio § 70 sq. cum scripti illius sententia qualem finxit Rehdantzius concineret, si Demosthenes in eo omnium Graecorum foedus rerum caput esse iudicavisset, cum tamen in propositione foedus illud utile modo dicat esse, ipsi vero Athenienses bellum parent et rebus intersint imprimis necesse esse? Sed longe aliter res se habet, si codices **Σ** et Laur. sequimur duces. Namque ibi cum titulus sine dubio respon-

deat ad interrogationem ἀλλὰ πῶς; (scil. ἔχεθ' ὑμεῖς πρὸς τὰ τοιαῦτα i. e. δωροδοκίαν) εἶπω; κελεύετε καὶ οὐκ ὀργιεῖσθε; oportet nos coniectare Demosthenem nec opinatam aliquam proditionem unius e ducibus aut legatis per Philippum corruptis et quid inde Athenienses caperent detrimenti documentis ex actis publicis petitis probavisse. Talia enim in orationis oeconomiam aptissime quadrant. Etenim inde a § 36 orator Graecorum et imprimis Atheniensium neglegentiam qua in proditores utantur a Philippo pecunia corruptos perstringit. Atque hoc ita, ut primum § 36-40 maiores exponat cum contrariam sequerentur rationem opibus ac potentia floruisse, Graecos vero qui nunc sint vitio illo tanquam morbo confici gravissimo. Deinde cum quid antea censuerint Athenienses documento quodam publico comprobet et explicet (§ 41-46), quid tandem Demostheni impedimento fuisse putas, quominus etiam aequalium perversam rationem eodem loco depingeret? Id enim in primis oratori curae est, ut Atheniensium animos in propriam omnium malorum causam convertat. Et si hoc loco eodem modo atque antea iam (§ 22-25 et § 25-28) priorem reipublicae condicionem praeponit, audientium animos nimirum vult mulcere atque placare, ut libenter subeant vituperationem, quae quam sit iusta et prorsus necessaria contrarii laude ante iam demonstratur. Sed hic quaerat quispiam, quid omnino sibi velit titulus ille ἐκ τοῦ γραμματείου ἀναγιγνώσκει, qui quamquam in codd. Σ (et etiam in codd. Laur. et Vat.) Y. Vind. 1. 3. 4. F. marg. Bav. legitur, tamen a Voemelio in textum non receptus est. Hoc mirum sane est, praesertim si audimus, qua ille causa ductus fuerit. Etenim si genuinus, inquit, esset hic titulus, quilibet legens intellegeret ad ἀναγιγνώσκει esse supplendum oratorem, qui eas res de scripto narravit, quibus populus quantum sibi periculum a Philippo immineret facile perspiceret. At toto loco Philippi nulla fit mentio,

sed agitur de Atheniensibus, quos quomodo se habeant πρὸς τὰ τοιαῦτα καὶ πρὸς τἄλλα (i. e. in operas Philippicas et proditores) Demosthenes descripturus erat. Etiam quod Voemelius putavit post ὀργιεῖσθε statuendam esse ἀποσιώπησιν quandam nec tamen lacunam (τοίνυν § 47 esse μεταβατικόν) et oratorem reticere modo Athenienses esse εὐήθεις, id prorsus reiciendum est. Hanc in sententiam idem cadit, quod supra iam de Spengelii emendatione — interposuit enim verba εἶπω; κελεύετε rel. ante ἴστε αὐτοί — dictum est. Voemelii igitur rationes non tales sunt, quibus textus recognitio ab ipso hoc loco facta defendatur. Multo vero constantius egerunt priores Demosthenis editores. Etenim iam Reiskio hic titulus offensioni erat, Dobraeus eum delevit. Quem quicunque Vulgatae patrocinium susceperunt, in his etiam Dindorfius, recte sunt secuti. Namque testimoniis aiunt ex historiarum memoria petitis probari non posse oratorem aliquem quorum auctor populo fieri vellet, ea non ipsum ore suo inculcasse sed de scripto recitanda scribae tradidisse (v. Reiskium et Frankium ad h. l.). Sed titulus ille unde ortus sit parum interest. Nihil prorsus refert utrum ex scholiis irrepserit, quod vult Voemelius, an attentus aliquis lector eum in textu posuerit, dummodo quod rectum est indicet. Quod quale sit satis exposuisse mihi videor. Itaque quod Weilius in Drewesium coniecit crimen, eum Reiskii et Dindorfii adnotationes non refutasse, quin ne respexisse quidem, iniustum mihi esse videtur ea de causa, quod neque Reiskius neque Dindorfius cum animo informare non possint, qui factum sit ut Demosthenes non ipsa oratione sed documentis publicis, quae unde sumpserit non intellegatur, aliquid hoc loco probaverit, ad ipsam loci difficultatem solvendam — it quod facit Drewesius — afferunt quidquam. Nec porro ferenda est, ut supra iam dixi, Weilii sententia, qui Demosthenem opinatur aut hoc loco orationem suam

verbis quibusdam postea addendis supplere aut § 47 usque ad § 54 εἰς τοῦτο ἀφῖχθε μωρίας ἢ παρανοίας delere voluisse. Ergo nihil aliud est reliquum quam ut titulum retineamus aut certe hoc loco e documentis publicis aliquid recitatum esse statuamus, quo ad ἀλλὰ πῶς; responderetur. Ita enim, ut idem demonstravit Drewesius, sequentia adiunguntur aptissime. Etenim Arthmii exemplo respondet aliud quoddam ex aequalium memoria petitum, quod docet, in quam malam et indignam adversus barbaros condicionem Graecia neglecta proditorum machinatione inciderit. Quid vero huic rei convenientius esse potest, quam si Demosthenes iam pergens § 47 « stultum est, inquit, dictitare Philippum non ita potentem esse ut olim Lacedaemonios? » Atque ita etiam collocatio loci illius § 41: ὅτι δ' οὕτω ταῦτ' ἔχει, τὰ μὲν νῦν ὁρᾶτε δήπου καὶ οὐδὲν ἐμοῦ προσδεῖσθε μάρτυρος satis explicatur: namque his verbis orator cum differat modo disputationem de aequalium moribus perditis, transitum sibi parat ad depingendam maiorum gravitatem et constantiam. Et haec hactenus de § 46.

Sed quamquam Drewesius recte putat quaecunque ad emendandum et explicandum § 46 viri docti (Spengelius, Weilius, Benselerus, Rehdantzius) excogitaverint, ea iam esse refutata, tamen facere non possum quin in hoc eum errasse contendam, quod cum additamentum § 46 longe sit gravissimum cum hoc etiam omnia reliqua, quae in codd. Σ et Laur. non legantur, delenda esse censet. Atque haec nimirum non solum Drewesii sententia est, sed etiam omnium fere virorum doctorum, quos supra memoravi, Funkhaenelii, editorum Turicensium, Westermanni, Schultzii, aliorum. Ego vero tantum abest ut eorum iudicio standum esse credam, ut saniorem iam et quae latius pateat iudicandi rationem ineundam esse sentiam, cum tales ab eis etiam eiciantur

loci, quos ab ipso Demosthene scriptos esse manifestum est. Quod Voemelii editione luculentissime probatur. Ex ea enim apparet codicem Σ, etiamsi maioribus interpolationibus omnino non sit deformatus, a gravioribus tamen scribendi vitiis non mansisse liberum. Atque hoc ita factum est, ut scribae eius vel potius, cum inde ab a. 1860 accesserit cod. Laur. cum codice Σ in omni fere parte consentiens, iam is, qui archetypum scripsit, syllabas, verba vel tota enuntiata, quae eandem haberent speciem aut sonum, neglegentia praeteriret. Multa quidem huius generis errata ipsi scribae codicis Σ statim correxerunt, multa antiquae manus emendatrices suppleverunt; verum hoc ita se habere desunt etiamnunc qui libere profiteantur. *Itaque ego quidem secutus Rehdantzium* — qui nihilo secius ipse suam iudicandi rationem § 46, uti vidimus (eodem modo ac Voemelius § 71), ad additamenta manu XIV. saeculi scripta transferre non dubitat — *supplementa manu XII. saeculi facta contendo genuina esse putanda eorumque omissionem in pr. Σ et Laur. vel potius in utriusque communi archetypo scribis esse vitio vertendam.* Haec manus XII saeculi in oratione περὶ συμμορ. § 18: τὸν ἅπαντ' ἀριθμὸν κελεύω τριακοσίας (sc. τριήρεις) ἀποδείξαντας, κατὰ πεντεκαιδεκαναῖαν εἴκοσι ποιῆσαι μέρη, τῶν πρώτων ἑκατὸν πέντε καὶ τῶν [δευτέρων ἑκατὸν πέντε, καὶ τρίτων ἑκατὸν πέντε] ἑκάστῳ μέρει διδόντας κτλ. verba illa uncis inclusa, quae propter soni similitudinem in pr. Σ omissa videntur, adiecit et in oratione κατὰ Κόνωνος αἰκίας LIV. § 2 duorum in pr. Σ versuum lacunam supplevit: καὶ τούτου συγγνώμην ἕξετε, εὖ οἶδ' ὅτι πάντες, ἐπειδὰν [ἃ πέπονθ' ἀκούσητε· δεινῆς γὰρ οὔσης τῆς τότε συμβάσης ὕβρεως οὐκ ἐλάττων ἡ μετὰ ταῦτ' ἀσέλγειά ἐστι τουτουί.] ἀξιῶ δὴ καὶ δέομαι.... quae verba etiam Westermannus genuina agnovit. Itaque ad codicum ceteroquin notorum testimonium iam accedet etiam ignoti illius codicis XII. saeculo vetustioris, e quo codicis Σ correctores sup-

plementa illa quae dixi exscripserunt. Quod ut statuam hortatur lectio quaedam gravissima in uno mg. Σ et Schultzii Pal. servata, quae ut alia taceam ex codice illo vetustissimo sine ulla dubitatione profecta est, διισχυρίζομαι videlicet dico verbum rarissimum pro διορίζομαι § 7. Quodsi igitur mihi contingit, ut unum idque gravissimum et maximum supplementum manu XII. saeculi additum § **6** et **7** genuinum esse argumentis comprobem, summopere nimirum fit veri simile etiam reliqua ad ipso Demosthene esse profecta.

§§ **6. 7** sq. [Εἰ μὲν οὖν ἅπαντες ὡμολογοῦμεν Φίλιππον τῇ πόλει πολεμεῖν καὶ τὴν εἰρήνην παραβαίνειν, οὐδὲν ἄλλο ἔδει τὸν παριόντα λέγειν καὶ συμβουλεύειν ἢ ὅπως ἀσφαλέστατα καὶ ῥᾷστα αὐτὸν ἀμυνούμεθα· ἐπειδὴ δὲ οὕτως ἀτόπως ἔνιοι διάκεινται, ὥστε πόλεις καταλαμβάνοντος ἐκείνου καὶ πολλὰ τῶν ὑμετέρων ἔχοντος καὶ πάντας ἀνθρώπους ἀδικοῦντος ἀνέχεσθαί τινων ἐν ταῖς ἐκκλησίαις λεγόντων πολλάκις ὡς ἡμῶν τινές εἰσιν οἱ ποιοῦντες τὸν πόλεμον, ἀνάγκη φυλάττεσθαι καὶ διορθοῦσθαι περὶ τούτων· ἔστι γὰρ δέος μήποθ' ὡς ἀμυνούμεθα γράψας τις καὶ συμβουλεύσας εἰς τὴν αἰτίαν ἐμπέσῃ τοῦ πεποιηκέναι τὸν πόλεμον· ἐγὼ δὴ τοῦτο πρῶτον ἁπάντων λέγω καὶ διορίζομαι, εἰ ἐφ' ἡμῖν ἐστι τὸ βουλεύεσθαι περὶ τοῦ πότερον εἰρήνην ἄγειν ἢ πολεμεῖν δεῖ.]

Εἰ μὲν οὖν ἔξεστιν εἰρήνην ἄγειν τῇ πόλει καὶ ἐφ' ἡμῖν ἐστι τοῦτο, ἵν' ἐντεῦθεν ἄρξωμαι, φημὶ ἔγωγε ἄγειν ἡμᾶς δεῖν, καὶ τὸν ταῦτα λέγοντα γράφειν καὶ πράττειν καὶ μὴ φενακίζειν ἀξιῶ. εἰ δὲ ἕτερος τὰ ὅπλα ἐν ταῖς χερσὶν ἔχων καὶ δύναμιν πολλὴν περὶ αὐτὸν τοὔνομα μὲν τὸ τῆς εἰρήνης ὑμῖν προβάλλει, τοῖς δ' ἔργοις αὐτὸς τοῖς τοῦ πολέμου χρῆται, τί λοιπὸν ἄλλο πλὴν ἀμύνεσθαι;

Verba illa, quae desunt in codd. Laur. et Σ, in hoc vero manu XII. saeculi suppleta sunt, a Funkhaenelio, editoribus Turicensibus, Frankio, Schultzio, aliis ut spuria eiciuntur, verum a Spengelio cum vituperatione male iusta, a Weilio

correctione quadam adhibita, sine ulla dubitatione a Bekkero, Dindorfio, Voemelio, viris codicum aestimandorum peritissimis, et a Rehdantzio ut Demosthenica agnoscuntur. Ac primum quidem quid illi ad damnandos § 6 et 7 ex legibus sermonis Graecis petiverint videamus.

Frankius (ad h. l.) offenditur vocabulo ἔνιοι. Perquam mirum esse ait *nonnullos* (§ 6 οὕτως ἀτόπως ἔνιοι διάκεινται) eo esse dici animo, ut istas criminationes, esse civium, qui bellum excitent, in contionibus admittant non *plurimos* aut *multos*: scilicet Demostheni non illud, quod pauci, sed quod maior pars populi decretura esset, fuisse timendum. Ad haec Voemelius: Sane pauci isti, inquit, ei timendi erant, quia per eos multitudo ducebatur. At ne quis hos ἑνίους putet esse duces, quos multitudo sequatur, — uti recte animadvertit Schultzius — obstat, quod et hoc non diserte dictum est et re vera ei, qui multitudinem regant, non sunt hi ἔνιοι, sed illi τινὲς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις λέγοντες, ὡς ἡμῶν τινές εἰσιν οἱ ποιοῦντες τὸν πόλεμον. Nec tamen necessarium est cum Schultzio ex eo, quod nonnulli eo esse animo dicuntur, ὥστε πόλεις καταλαμβάνοντος ἐκείνου καὶ πολλὰ τῶν ὑμετέρων ἔχοντος καὶ πάντας ἀνθρώπους ἀδικοῦντος ἀνέχεσθαί τινων ἐν ταῖς ἐκκλησίαις λεγόντων..... colligere, ceteros hoc non laturos et illos a dicendo prohibituros fuisse, denique hanc sententiam ei, quam requiramus, prorsus adversari. Quid tandem haec sibi vult nimia morositas? Demosthenes nonne eam partem populi, quam illo animo esse vidit, vocabulo ἔνιοι discernere potuit, ut pravi posteriorum interpretum moris orationem suam solis logicae legibus metiendi nullam haberet rationem? Sed Frankius etiam verba ὡς ἀμυνούμεθα habet offensioni. Debuisse putat ὅπως ἀμυνούμεθα dici, neque enim rationem hoc loco neque effectum sed consilium indicari. Recte id quidem, sed fugit Frankium verba ὡς ἀμυνούμεθα verbis ὅπως ἀμυνούμεθα § 6 de industria opponi, quod vel ex in-

signi illius ὡς ἀμυνούμεθα collocatione satis apparet. Etenim si omnes, inquit, in eo consentiremus Philippum gerere bellum cum republica et pacem violare, nihil aliud oratorem suadere oportebat quam quo pacto (ὅπως § 6) illum ulciscemur: nunc vero vel hoc periculosum est rogare, ut (ὡς) ab illo defendamus. Iam alia Schultzii obiectatio spectat ad enuntiationes ἔστι γάρ δέος rel. et ἐπειδὴ δὲ, quas quod utraque ad sententiam primariam ἀνάγκη φυλάττεσθαι καὶ διορθοῦσθαι περὶ τούτων pertineat et quod utraque sententia idem fere tantum non eisdem verbis dictum videatur, existimat Demostheni nullo modo posse imputari: accedere quod proxime ab his absint sententiis, quae initio orationis (§ 2) dictae sint, verba oratore omnium praestantissimo dignissima: ἕτεροι δὲ τοὺς ἐπὶ τοῖς πράγμασιν ὄντας αἰτιώμενοι καὶ διαβάλλοντες οὐδὲν ἄλλο ποιοῦσιν ἢ ὅπως ἡ πόλις παρ' αὐτῆς δίκην λήψεται καὶ περὶ τοῦτ' ἔσται κτλ. Hoc verum si reputamus, sententiae de quibus agitur longius iam inter se distant quam ut ea, quae § 6 (ἐπειδὴ δὲ rel.) posita est, ullam dubitationem movere possit. At profecto § 6 et 7 latius patent quam verba illa § 2, etenim quae hoc loco extremis quasi lineamentis adumbrata sunt, ea illic clarius iam et apertius praedicantur et in medium proferuntur. Idem fere quadrat in alterum illud enuntiatum a Schultzio reprehensum ἔστι γὰρ δέος μήποθ' ὡς ἀμυνούμεθα κτλ. Nam cum priore sententia id tantum dicatur « nonnulli sunt tam stulti, ut ferant homines in contionibus subinde dictantes, nostrum esse quosdam, qui bellum excitemus », altera « verendum est, ne quis, ubi rogaverit et suaserit, ut patria ab hostibus defendatur, in crimen excitati belli veniat », res sine dubio gravissima adicitur. Et qua tandem re cogimur, ut oratoris verba tam inepte quam Schultzius premamus eisque ortum Demosthenicum abiudicemus? Talibus enim quibus ille ductus causis nemo unquam dubitavit quin verba § 6 et 7

essent genuina. Quin etiam omnia oratoris redolent gravitatem. Vere Demosthenicum est, illis πόλεις καταλαμβάνοντος ἐκείνου opponi ἡμῶν τινες οἱ ποιοῦντες τὸν πόλεμον, vere Demosthenica est vocabuli πολλάκις collocatio, vere denique Demosthenica tota est periodorum structura, quae consimilis est initio Demosthenis orationis in Aphobum habitae primae.

Multo vero graviora et quae ad diiudicandam de ortu illorum § 6 et 7 quaestionem plurimum valeant sunt crimina, quae in ipsum loci argumentum et sententiarum ordinem atque nexum coniecta sunt. Ita Funkhaenelius paragraphos istos, quos putat ab rhetore aliquo ut artem suam ostenderet inter § 5 et § 8 esse insertos, in prooemiorum refert numero, haec enim e verbis Demosthenicis conglutinata et ab ipsis auctoribus amplificata esse: quam tamen coniecturam eum certis quidem argumentis non probavisse dolendum est. Contra Spengelius verba illa genuina esse putat, etsi hoc loco tres deinceps enuntiationes verbis εἰ μὲν οὖν incipientes, ut fere fiat in additamentis ab oratore post factis, sententiarum nexui haud bene conveniant: tamen eas vult repugnare sententiae illi § 1: καὶ πάντων εὖ οἶδ' ὅτι φησάντων γ' ἂν εἰ καὶ μὴ ποιοῦσι τοῦτο καὶ λέγειν δεῖν καὶ πράττειν ὅπως παύσεται ὕβρεως καὶ δίκην δώσει, quia hoc loco omnes dicant a Philippo violatae pacis poenas esse repetendas, illic vero multi non Philippum bellum gerere, sed ipsis Athenis esse qui ad bellum concitent, quod quidem magnam audientium partem credere, ita ut orator hoc de crimine verba sibi esse facienda censeat. Atque hanc discrepantiam etiam a. 1860 tenuit contra Voemelium. Is enim cum Spengelio dedisset crimini, quod particulam ἂν initio positam neglegeret, contenderat illud πάντων φησάντων γ' ἄν, quod non idem esset quod « omnes dixerunt », sed significaret « omnes dixissent » (scil. si interrogati essent) et illud εἰ ὡμολογοῦμεν § 6 (« si concederemus » — quod vero non facimus) tamen inter se

pugnare. Spengelius igitur posteriore sua disputatione a. 1860 scripta verba ait illa καὶ πάντων οἶδ' ὅτι φησάντων γ' ἂν εἰ καὶ μὴ ποιοῦσι τοῦτο sine dubio idem valere quod πάντες φήσαιεν ἄν i. e. « non dixissent » sed « dicerent » (si interrogarentur) : quod nihil aliud significare quam si dictum esset omnes concinere, iudicare, sentire ita, quod etiamsi non libere profiterentur, facturos tamen eos esse, si interrogarentur, esse igitur summam omnium consensionem. Cuicuimodi id est, recte concedit Spengelius, id quod apud Schultzium frustra quaerimus, discrepantiam illam tolli posse, si dicatur oratoris verba non tam anxie esse aestimanda. Etenim hoc si fieret, § 1 profecto res falsa contenderetur, cum factionis Philippicae, quae erat Athenis, nullo omnino habita esset ratio. Sed quod attinet ad loci § 6 et 7 collocationem, Schultzius interrogat, num re vera orator eam quam propositio in fine § 7 collocata requirat instituat quaestionem : « sitne penes Athenienses deliberare, an pax agenda sit ». Affirmat Rehdantzius, nam §§ illis 6 et 7 cum reliquis arctissime coniunctis comprobari propositionem, quin eisdem etiam ipsam primariae partis orationis propositionem contineri : διορίζομαι εἰ ἐφ' ἡμῖν ἐστι τὸ βουλεύεσθαι περὶ τοῦ πότερον εἰρήνην ἄγειν ἢ πολεμεῖν δεῖ, quorum alterum illud oratorem iam esse expositurum, sitne penes Athenienses pacem agere. At certe hoc modo rem tractare voluisse Demosthenem negat Schultzius, cum proxime hanc quaestionem instituendam esse prorsus negare videatur: (§ 8) τί λοιπὸν ἄλλο πλὴν ἀμύνεσθαι; (§ 9) εἰ δέ τις ταύτην εἰρήνην ὑπολαμβάνει..... μαίνεται. Propositionem vero illam animo tantummodo eum finxisse et leviter attigisse statimque eo processisse, ut Philippum bellum gerere probaret: quam si praemissam voluisset, vix eum ita neglecturum fuisse. Verum tamen haec si iam missa faciamus, — pergit Schultzius — quoniam oratorem non tam anxie propositionis suae vestigia secutum esse existimari liceat, quaeri ubi illud

« πολεμεῖν δεῖ » tractatum sit. Talia sequi neque Schultzius ipse neque Rehdantzius, qui illud « πολεμεῖν δεῖ » usque ad § 36 tractari et ita propositionem ad finem opinatur perductam, negare potest. Sed offenditur ille eo, quod haec in exigua orationis parte tractentur ac non tota oratione: recte enim vidisse Libanium hoc unum in oratione agi, ut Athenienses ad bellum excitarentur. Quoquo modo res se habet, utrique de totius orationis sententiarum ordine perperam iudicant. Iam cum de § 46 disputarem, verba § 4 καὶ γὰρ εἰ πάνυ φαύλως τὰ πράγματ' ἔχει καὶ πολλὰ προεῖται, ὅμως ἔστιν, ἐὰν ὑμεῖς τὰ δέοντα ποιεῖν βούλησθε, ἔτι πάντα ταῦτα ἐπανορθώσασθαι dixi generaliter spectare ad palmarem illam sententiam a Demosthene in fine orationis positam « dimicate pro patriae libertate » eisque totius orationis contineri argumentum. Itaque in duas partes dividitur oratio. Quarum priore (§ 8-46) Demosthenes adumbrat periculum, ad quod depellendum Athenienses est concitaturus, miserrimam videlicet Graecorum condicionem, illud « πάνυ φαύλως τὰ πράγματα ἔχει »: altera (§ 47-70), cum quod ex rebus expositis colligendum sibi videtur id ad causam quae agitur iam referat, exponit quid faciendum sit, ut periculum propulsetur (τὰ δέοντα ποιεῖν). Atque hanc rei gravissimae tractationem bipertitam cum Libanii argumento, quod ad defendendam sententiam suam attulit Schultzius, « Φιλίππου..... λόγῳ μὲν εἰρήνην ἄγοντος, ἔργῳ δὲ πολλὰ ἀδικοῦντος, συμβουλεύει τοῖς Ἀθηναίοις ὁ ῥήτωρ ἀναστῆναι καὶ ἀμύνασθαι τὸν βασιλέα, ὡς κινδύνου μεγάλου καὶ αὐτοῖς ἐπικρεμαμένου καὶ πᾶσι κοινῇ τοῖς Ἕλλησιν » optime congruere haud difficile est ad intellegendum. Itaque Schultzio non concessum fuit ex Libanii verbis aliquid cogere, quod cum re ipsa pugnaret. Nec vero quod Rehdantzius putavit illud πολεμεῖν δεῖ usque ad § 36 tractari et ita propositionem § 7 collocatam ad finem esse perductam, id ullo modo ferendum est. Namque bel-

lum esse gerendum idque quam acerrime §§ 47-52 demum exponitur: cui sententiae, si respicimus ad dicendi ordinem a Demosthene universe servatum, in priore orationis parte nullus omnino est locus. Etenim, uti iam ad § 46 adnotavi, § 8-19 probat orator Philippum re vera bellum gerere in Athenienses, deinde usque ad § 36 quantas inimicitias in Graecos omnino susceperit, quanta in eo sit finium proferendorum cupido, quanta superbia: atque hoc ita, ut adiuncta statim sententia contraria omnium Graecorum socordiam adversus nefarios Philippi conatus atque levitatem perstringat. Denique § 36 ad intestina pericula tanquam externorum causam conversus usque ad § 46 castigat proditorum neglegentiam, qua ille adiutus in exsequendis consiliis suis Graecorum civitates inter se discordantes facillime superet.

Quid? — ita iure quaerat quispiam — quo tandem modo omnino se habet propositio illa § 7, cum eam orator neque per totam orationem (ut putat Schultzius) neque una eaque exigua orationis parte usque ad § 36 (ut vult Rehdantzius) persequatur? Quam ad quaestionem diiudicandam ipsa propositionis verba accuratius examinanda videntur. Etenim summopere profecto mirandum est neminem unquam interpretem verbum διορίζομαι cum particula εἰ coniunctum eademque significatione usurpatum qua italicum « stabilisco se » habuisse offensioni. Quod primus animadvertit Weilius (in Fleckeisenii Annal. philol. 1870). Is enim locis his de falsa legat. § 233 βουλόμενος ἀγῶνι καὶ δικαστηρίῳ μοι διωρίσθαι παρ' ὑμῶν ὅτι τἀναντία ἐμοὶ καὶ τούτοις πέπρακται et in Dionysod. § 11 διαρρήδην ἡμῶν διορισαμένων ἐν ταῖς συνθήκαις ὅπως ἡ ναῦς μηδαμοῦ καταπλευσεῖται ἀλλ' ἢ εἰς Ἀθήνας probavit verbum διορίζω cum ὅτι et ὅπως solere copulari neque minus cum infinitivo aut cum accusativo obiecti, nusquam vero cum interrogatione obliqua per particulam εἰ inducta. Hoc tum demum vult fieri posse, si — id quod hoc

loco non est — διορίζομαι cum verbo considerandi vel quaerendi ut σκοπῶ aliis sit coniunctum. Itaque proponit, ut post διορίζομαι ponatur colon et verbis εἰ ἐφ' ἡμῖν ἐστι nova incipiatur enuntiatio. Cuius priorem partem pertinere ad πολεμεῖν δεῖ, alteram omissis illis εἰ μὲν οὖν... ἄρξομαι — haec enim quod sint molesta neque iam sententiae conveniant delenda esse putat — incipere: φημὶ ἔγωγε <εἰρήνην> ἄγειν ἡμᾶς δεῖν rel. Ita demum intellegi quid sibi velit illud διισχυρίζομαι antiqua manu mg. Σ adscriptum [et etiam in Schultzii Pal. servatum] pro διορίζομαι, cum antea vocabulo illi cum εἰ coniuncto nullus fuerit sensus. Quod, quantum ego quidem iudicare possum, rectissime vidit Weilius. At quam de hoc loco restituendo protulit sententiam eam nullo modo comprobare possum. Ut enim — quod supra exposui — orationis Philippicae tertiae hoc vult esse maxime proprium, ut saepius alterius recensionis additamenta sine ullo coniunctionis vinculo textui videantur inserta, ita hoc etiam loco tenet sententiam suam. Itaque ne deesset quaedam sententiarum cohaerentia, rhetores vel grammaticos statuit ad perversam interpunctionem et pravam enuntiatorum coniunctionem confugisse. Minime vero. Namque primum si recte ita re vera locus esset emendatus, omnis prorsus sublata nobis esset causa cur utrosque §§ 6 et 7 ante § 8 casu et fortuito intercidisse putaremus: veri enim est simillimum oculum illius qui archetypum codicum Σ et Laur. scripserit ab εἰ μὲν οὖν § 6 ad εἰ μὲν οὖν § 8 forte aberravisse. Deinde cum Weilius verba illa εἰ ἐφ' ἡμῖν ἐστι τὸ βουλεύεσθαι περὶ τοῦ πότερον εἰρήνην ἄγειν ἢ πολεμεῖν δεῖ sine ulla dubitatione ut genuina agnoscat, facere non possum quin pluribus de causis eum reprehendam. Vidimus iam illud πολεμεῖν δεῖ sequentibus usque ad § 46 ab oratore omnino non explicari. Talem vero propositionem in medium protulisse nisi re vera eam tractaturus fuisset Demo-

sthenes — id quod si verba per se ponderantur necessario expectatur — futile profecto atque inane et praeclarissimo oratore plane indignum fuisset. Suo contra loco illa esset, si alterum membrum eius, illud εἰρήνην ἄγειν Demosthenes priore orationis parte et altera inde a § 47 illud πολεμεῖν δεῖν exposuisset. Sed nihil nisi hoc fieri, illud vero nusquam, supra iam dixi. Nonne totus locus vel eo, quod pugnat cum totius orationis argumento, suspicionem movet? Quid porro sibi vult illud ἐφ' ἡμῖν ἐστι τὸ βουλεύεσθαι περὶ τοῦ πότερον εἰρήνην ἄγειν ἢ πολεμεῖν δεῖ? Numne Athenienses quoad libera utebantur republica necdum Macedonum imperio erant subiecti ulla re unquam omnino prohibiti sunt, quominus ipsi de bello aut pace consulerent? Sane nunquam. Quae cum ita sint, verba illa εἰ ἐφ' ἡμῖν ἐστι τὸ βουλεύεσθαι περὶ τοῦ πότερον εἰρήνην ἄγειν ἢ πολεμεῖν δεῖ, quae a grammatico aliquo ex § 8 fortasse ut argumentum huius paragraphi brevi complecteretur conficta et temere adiecta esse ipsi Schultzio non improbabile videtur, contendo esse eicienda. Illud nunc nobis erit propositum, ut quam apte omnia iam procedant demonstremus.

« Quamvis in miserrima versemur condicione — ita fere disputat Demosthenes § 4 — omnia tamen restitui possunt, si ipsi officio vestro satisfacere vultis. Nunc enim Philippus levitatem modo vestram et socordiam nec tamen terram vosque ipsos vicit. Vos potius ne moti quidem estis, summa pace summaque rerum tranquillitate utimini [οὐδὲ κεκίνησθε, quae verba, ut recte vidit Frankius, sine dubio pacis quandam habent significationem]. Quod si omnes in eo consentiremus Philippum bellum gerere cum republica et pacem violare, nihil aliud oratores oportebat dicere quam quo modo ab eo defenderemus. Ita vero res non se habet. Immo sunt inter nos homines stultissimi, qui, cum ille Graecas urbes occupet multumque vexet nostras res, ferant

quosdam [sine dubio orator dicit factionis Philippicae duces] in contionibus subinde dictitantes nostrum esse quosdam, qui bellum excitemus [ἡμῶν τινες, inquit Demosthenes, dicitque se ipsum et socios suos patriae amantissimos]. Hanc igitur rem prae ceteris explicabo et constituam ». Sed ut aliis verbis rem ipsam illustrem, id potissimum Demosthenes est expositurus Philippum re vera iam bellum gerere in Athenienses (§ 8-19 et sqq.-36) et illos τινάς, qui in ipsum et socios belli excitati crimen coniciant, non iniuste solum hoc facere, sed miseram patriae adversus insidiosum Macedonum regem condicionem in ipsorum nequitiam et fidem venalem proprie esse referendam. Iamque aptissime orator verbis § 8 ἵν' ἐντεῦθεν ἄρξωμαι, quae servata propositione illa § 7 ferri non possunt, ad rem ipsam tractandam aggrediens: « Quod si, inquit, ut inde initium capiam, urbi licet pacem agere idque penes nos est, contendo ego quidem agendam eam nobis esse et postulo, ut is, qui haec affirmat, optima quaeque et roget et dicat neque ineptiis proferendis cives ludibrio habeat: sin alter arma in manibus habens et magnas circa se copias collectas nomen pacis vobis praetendit, nihil aliud est reliquum quam ut ab eo defendamus ».

Quae cum ita sint, cum §§ 6 *et* 7 *manu XII. saeculi in cod.* Σ *suppletos correctione quadam adhibita ab ipso oratore scriptos* esse demonstraverimus eorumque omissionem archetypo codicum Σ et Laur. scribae esse crimini dandam, veri videtur simillimum, ut supra iam dixi, etiam reliqua eiusdem manus additamenta, si eadem de causa ea omissa esse probari possit, esse genuina.

Atque horum in numero primum referendus est § **58**: καὶ μετὰ ταῦτ' ἐξελήλακεν ἐκ τῆς χώρας δὶς ἤδη βουλομένους σώζεσθαι [τότε μὲν πέμψας τοὺς μετ' Εὐρυλόχου ξένους, πάλιν δὲ τοὺς μετὰ Παρμενίωνος]. Καὶ τί δεῖ τὰ πολλὰ λέγειν; — Verba illa, quae desunt in pr. Laur. et pr. Σ, hic manus XII. saeculi

margini adscripsit. Et Rehdantzio quidem censenti interpolationum ad historiam spectantium, inter quas etiam hic locus a Westermanno et Schultzio numeratur, in reliquarum Demosthenis orationum codicibus nullum omnino exstare exemplum, cum contrariam sententiam supra (§ 72, § 32, § 71) probavisse mihi videar, assentiri nullo modo possum. Etenim hoc loco longe aliter sine dubio res se habet et scribae errorem subesse manifestum est. Itaque Voemelius oculum scribae vult ab ЄCΘAI syllabis ad OCKAI [Παρνενίωνος καὶ] aberrantem omisisse versum: quam rem melius etiam explicat Rehdantzius eo, quod ad maiorem efficiendam similitudinem pro καὶ substituit compendium illud in cod. Σ (v. Voemelii proleg. crit. § 86 et tab. litter. N° A, 3) usitatum et litterae Z simillimum, ita ut sibi respondeant βουλο |MЄNOYCCѠZЄCΘAI et Παρ|MЄNIѠNOCZTIΔЄI. Rebus ita se habentibus nihil profecto habet ponderis iterum cum Funkhaenelio statuere res ibi traditas ex ὑπομνηματιστῶν libris manavisse, id quod neque hoc loco neque § 72, uti vidimus, argumentis satis firmis probari potest. Rectius animadvertit Spengelius, qui in utraque sua disputatione locum genuinum agnoscit, rerum scriptores eorum qui talibus in expeditionibus duces fuissent nomina vix litteris consignaturos fuisse. Verum enim vero verbis illis, quae in pr. Σ et pr. Laur. casu et fortuito intercidisse apparet, vera tradi certis testimoniis confirmatur. Namque de Eurylocho quodam legato una cum Parmenione et Antipatro ad Athenienses misso mentionem facit auctor secundi argumenti ad orat. περὶ παραπρεσβ. (p. 336, 10. Dind. p. 287). Quod quamvis non satis dignum sit cui fidem omnino habeamus, tamen auctor eius potest rem bene comperisse, cum etiam locus ille Aeschinis 3, 76 p. 64 (Δημ.) ἐμισθώσατο αὐτοῖς τρία ζεύγη ὁρικά, ut acerrime vidit Boehneckius (Forschungen I, 389, 5), ad tres legatos spectare videatur. Itaque

probabilis est coniectura hunc Eurylochum esse eundem, quem post Philippi mortem supplicio affectum esse Iustinus XII, 6 memoriae prodit. Parmenionem autem hoc tempore in Euboea fuisse inde colligitur, quod Carystius (apud Athenaeum XI, p. 506 et 508) Orei eum tradit Euphraeum interfecisse. Sed quod Voemelius Demosthenicum loci ortum affirmans oratorem arbitratur nominatis ante tribus illis tyrannis ut illud δὶς in secundo membro positum explicaret etiam ducum nomina — quod sine ulla causa Schultzius non tantum interfuisse contendit — necessario fuisse allaturum, id optatum magis quam firmis argumentis probari posse videtur. Atque hoc idem quadrat in Schultzium, cui verisimile est Demosthenem hic orationem abrupisse, ut ad res Oritarum enarrandas transiret cum pergat: καὶ τί δεῖ τὰ πολλὰ λέγειν;

Haec satis dicta sunt de § 58. Transeamus iam ad reliqua omissionis exempla.

§ 2. τινὲς μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐν οἷς εὐδοκιμοῦσιν αὐτοὶ καὶ δύνανται, ταῦτα φυλάττοντες οὐδεμίαν περὶ τῶν μελλόντων πρόνοιαν ἔχουσιν, [οὐκοῦν οὐδ' ὑμᾶς οἴονται δεῖν ἔχειν,] ἕτεροι δὲ κτλ. Facillime fieri potuit, ut scriba versum uncis inclusum praetermitteret et vocabulo ἕτεροι pergens tamen se eum scripsisse opinaretur, cum finis eorum verborum quae vere scripsit praesertim cum compendio illo ϒ pro οὐ in cod. Σ saepissime adhibito (v. Voemelii tab. litter. N° A, 3): προν|ΟΙΑΝΕΧϒCΙΝ omissis οἴονται| ΔΕΙΝΕΧΕΙΝ simillimus sit. Ipsa sententia videtur Voemelio frigida, nec tamen adicit causam cur ita sentiat, itemque Schultzio futilis. Qua hic nimium ait eis tribui, quos de futuro plane non cogitare orator dicturus fuerit, praesertim cum ideo ne Atheniensibus quidem futuri rationem habendam esse opinentur, quod ipsi id non faciant, sed sua tantum curent: atque nihil nisi hoc Demosthenem ad depingendos illorum χαρί-

ζεσθαι βουλομένων animos afferre voluisse. At unde hoc Schultzius compertum habet? Qua tandem re cogimur tam anxie premere verba, et quid vetat nos enuntiatum illud cum Spengelio, cui etsi non necessarium tamen ab oratore post additum esse videtur, aptum iudicare? Denique quod Rehdantzius putavit si respiceretur ad locum illum Phil. IV. § 43: ἐμοὶ γὰρ οὐδεὶς οὕτως ἄθλιος οὐδ' ὠμὸς εἶναι δοκεῖ τὴν γνώμην, οὔκουν Ἀθηναίων γε, ὥστε λυπεῖσθαι etiam hic scribendum esse οὔκουν (nedum), id iure refutavit Schultzius, cum diceret οὐδὲ non priori sententiae, cui soli conveniret, adiectum esse.

Simili modo res se habet § **44**: τοῦτο δ'ἐστὶν οὐχ ἣν οὑτωσί τις ἂν φήσειεν ἀτιμίαν· τί γὰρ τῷ Ζελείτῃ, τῶν Ἀθηναίων κοινῶν εἰ μὴ μεθέξειν ἔμελλεν; [ἀλλ' οὐ τοῦτο λέγει] ἀλλ' ἐν τοῖς φονικοῖς γέγραπται νόμοις, ὑπὲρ ὧν ἂν μὴ διδῷ δίκας φόνου δικάσασθαι, [ἀλλ' εὐαγὲς ἢ τὸ ἀποκτεῖναι,]] καὶ « ἄτιμος » φησὶ « τεθνάτω ». Quem locum qua forma Harpocratio memoriae tradiderit praetereo. Hac enim de re in libro meo cui inscriptum est « Die Ueberlieferung der dritten philippischen Rede des Demosthenes. Leipzig 1874 » pag. 168 fusius disputavi. Sed illud ἀλλ' οὐ τοῦτο λέγει contendo facile omitti potuisse, cum oculus scribae statim ad sequens ἀλλ' ἐν τοῖς aberraret, itemque verba illa ἀλλ' εὐαγὲς ἢ τὸ ἀποκτεῖναι propter litterarum similitudinem quae est vocabulo δικα|CACΘAI cum ἀπο|KTEINAI in fine versus. Quae qui uni codici Σ censent fidem esse habendam animadverterunt verba ἀλλ' οὐ τοῦτο λέγει propter sequens τοῦτο δὴ λέγει esse delenda (Schultz.) aut ut praecedentia cum sequentibus ἀλλ' ἐν τοῖς φονικοῖς κτλ. melius coniungerent posteriore manu videri esse addita, ea sunt manca et omni plane carent fundamento. Etiam verba illa, quae oculi errore facillime intercidere poterant, esse molestissima, ut ait Voemelius, recte negavit Spengelius. Iam illa ἀλλ' εὐαγὲς ἢ τὸ

ἀποκτεῖναι Demosthenem e Solonis legibus petivisse ideo non esse verisimile — ut est Schultzii sententia — quod sequentia τοῦτο δὴ λέγει, καθαρὸν τὸν τούτων τιν' ἀποκτείναντ' εἶναι non ad obsoletum illud εὐαγὲς sed ad legem ipsam illustrandam adiecerit orator, concedi nullo modo potest. Etenim in eis quae Schultzius adfert insit licet aliquid veri, tamen nexum quendam causalem statuamus nondum necesse est: quin suspecta illa potius verba ab ipso Demosthene hoc loco scripta esse possunt. Postremum ille cum citet Andocid. I, 97 ὁ ἀποκτείνας τὸν ταῦτα ποιήσαντα εὐαγὴς ἔστω καὶ ὅσιος, non res ipsa, inquit, sed is, qui hoc fecerat, dicebatur εὐαγής i. e. καθαρός. Sed ne hoc quidem recte dici posse videtur, cum Plutarchus quoque (Lyc. 28) eundem Graeci sermonis usum secutus scribat εὐαγές ἐστι τὸ ἀνελεῖν.

Iam duo alii loci manu XII. saeculi emendati aliis etiam testimoniis adeo firmati atque stabiliti videntur, ut genuini putandi sint. Ac primum quidem illud πρίασθαι § **31** a Spengelio reiectum, quod propter πρότερον facile intercidere potuit. Itaque superfluum certe est ad defendendam codicum Σ et Laur. lectionem cum Schultzio inde ab Homeri dicendi usu (Iliad. II, 852: ἐξ Ἐνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος, ibid. II, 857: ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη) repetere, neque oratorem unde oriundus esset Philippus dicturum fuisse ullo modo probari potest. Lucianum vero locum iam ita legisse, ut manus XII. saeculi correxit, ex verbis eius clare apparet. Etenim Paras. 42 haec posuit: ὁ ταυτὶ λέγων (scil. Dem.) ἐν ταῖς ἐκκλησίας συνεχῶς· Φίλιππος γὰρ ὁ Μακεδόνων ὄλεθρος, ὅθεν οὐδὲ ἀνδράποδον πρίαιτο (scil. ἀνδράποδον ἂν πρίαιτο, quod post syllabam ov facile omitti potuit) τίς ποτε. — Deinde § **1** sub fin. manus XII. saeculi inter νῦν et διατεθῆναι interposuit αὐτά, quod vocabuli πράγματα locum teneret. Quod idem exhibent multi codices Dionysii Halicar-

nassensis eo loco, quo citat § 1 orationis Philippicae tertiae (p. 947 sq.).

Postremo quae verba § 57 manu XII. saeculi adiecta sunt, ea sententiae miram quandam tribuunt gravitatem: οἱ μὲν ἐφ' ὑμᾶς ἦγον τὰ πράγματα, οἱ δ' ἐπὶ Φίλιππον. ἀκούοντες δὲ τούτων τὰ πολλὰ μᾶλλον [δὲ τὰ πάντα] οἱ ταλαίπωροι καὶ δυστυχεῖς Ἐρετριεῖς τελευτῶντες ἐπείσθησαν τοὺς ὑπὲρ αὐτῶν λέγοντας ἐκβαλεῖν. Verba illa Bekkerus et Funkhaenelius deleverunt. Is enim Eretrienses ait sua sponte ad Philippum inclinantes per oratores Φιλιππίζοντας magis etiam adductos esse, ut regi se traderent. At ita quae exhibet cod. Σ verba explicari non possunt. Nam μᾶλλον non ad ἐπείσθησαν sed ad ἀκούοντες referendum est, ut sit interpretandum: Infelicibus Eretriensibus cum in plerisque rebus his — i. e. οἳ ἐπὶ Φίλιππον ἦγον τὰ πράγματα — magis auscultarent — i. e. non: magis magisque (Schultz.), sed: magis quam illis (i. e. οἳ ἐφ' ὑμᾶς ἦγον τὰ πράγματα), — postremo persuasum est, ut. . . . Sed quid sibi vult illud μᾶλλον? Voemelius, qui verba δὲ τὰ πάντα ceteroqui putat genuina, vult deletum, cum vere dici non possit populum Eretriensem ad Philippum inclinasse. Sed haec profecto non sufficient ad eiciendum vocabulum μᾶλλον. Spengelius autem id cum significatione quasi quadam positum esse ducit. Duarum enim ait factionum fuisse duces, quorum hos fecisse cum Atheniensibus, illos cum Philippo; populum vero Eretriensem plerumque magis libentiusque hos quam illos auscultavisse. Atque hoc nimirum recte. Minime vero alterum illud, Vulgata exhibere non tam emendatricem oratoris manum quam rhetoris alicuius ingeniosam coniecturam (δὲ τὰ πάντα). Sed mittamus haec, cum eodem iure contendi possit scribae neglegentia esse factum, ut in archetypo codicis Σ fortasse propter litterarum similitudinem [δὲ|ΤΑΠΑΝΤ et ΤΑΛΑΙΠωροι] verba illa δὲ τὰ πάντα intercidierent. Atque his ratione habita illius

τὰ πολλὰ gradationem quandam censeo effici haud iniucundam. Qua insignis iam fit vis vocabuli μᾶλλον similiter ut Olynth. III. § 14: οὔτ' ἂν ὑμεῖς πολλὰ ψηφιζόμενοι μικρά, μᾶλλον δ' οὐδὲν ἐπράττετε τούτων, οὔτε Φίλ. κτλ., ita ut vertendum sit: « Siccome i poveri disgraziati Eritriesi ascoltarono per lo più o piuttosto unicamente questi ultimi, così da ultimo si lasciarono indurre ad esigliare gli uomini che parlavano per il loro meglio ». Quae maxime idonea esse et aptissime augere sententiae vim et gravitatem negari profecto non potest.

Sed dies me deficiat, si de omnibus locis, quos manus illa XII. saeculi supplendo correxit, pari modo velim disputare. Itaque ipsos locos hic perscribere satis habeo:

§ **37**: παρὰ τῶν ἄρχειν ἀεὶ βουλομένων —§ **37**: etc. τὸν οὖν καιρὸν ἑκάστου τῶν πραγμάτων, ὃν ἡ τύχη καὶ τοῖς ἀμελοῦσι κατὰ τῶν προσεχόντων καὶ τοῖς μηδὲν ἐθέλουσι ποιεῖν κατὰ τῶν πάνθ' ἃ προσήκει πραττόντων πολλάκις παρασκευάζει, οὐκ ἦν πρίασθαι — § **40**: ἐπεὶ τριήρεις γε καὶ σωμάτων πλῆθος καὶ χρημάτων πρόσοδος καὶ τῆς ἄλλης κατασκευῆς ἀφθονία, καὶ τἆλλα, οἷς κτλ. — § **42**: Ἄρθμιος φησὶν ὁ Πυθώνακτος Ζελείτης ἄτιμος ἔστω καὶ πολέμιος τοῦ δήμου κτλ. — § **60**: χορηγὸν ἔχοντες Φίλιππον καὶ πρυτανευόμενοι παρ' ἐκείνου ἀπάγουσι τὸν Εὐφραῖον κτλ.

Quae cum ita sint, demonstrasse mihi videor 1, *primum, quascunque viri docti de duplici quam vocant orationis Philippicae tertiae recensione protulerint sententias, eas ad ipsam rei difficultatem solvendam non sufficere,*

a, neque aut Dindorfium putantem pleniorem orationis editionem a Demosthene scriptam mature ab rhetore aliquo esse compendifactam, aut Spengelium cum statuat Philippicam tertiam secundis curis ab ipso Demosthene repetitam denuo elaboratam et multis locis auctam esse rectum vidisse;

b, neque porro eos, qui codices Σ *et Laur. solos velint ipsam oratoris manum exhibere, omnes vero reliquos libros manu scriptos ingenti interpolationum multitudine esse deformatos, ad ipsam veritatem accedere, sed*

2, contra codicum Σ *et Laur. auctoritatem additamenta manu XII. saeculi facta genuina esse agnoscenda.*

Sed qui qualem ipsi veteres Demosthenis editionem in manibus habuerint animo est informaturus, eum non oportet hac in re acquiescere. Immo ut ad ipsum codicem Alexandrinum qualem Callimachus bibliothecarius conscribendum curavit quam proxime accedamus, examinanda esse puto omnia omnium rhetorum grammaticorumque testimonia ex oratione Philippica tertia petita. Et tum demum animum meum errore vagatum esse concedam, si aut omnia veterum testimonia cum codicibus Σ et Laur. in omni parte consenserint aut erit inventus, qui sententiam meam assensu suo plane confirmaverit. Sed infinita esset dissertatio, si singulorum Philippicae tertiae locorum vestigia persequi ac veterum rhetorum grammaticorumque testimonia hic perscribere et diligenter examinare vellem. Quae hac de re et de ratione quae inter illos et orationem Philippicam tertiam intercedat statuenda sunt, ea continenti complexus disputatione in libro meo supra commemorato p. 162-184 uberius exposui. Nihil igitur dico de Dionysio Halicarnassensi, acerrimo veterum oratorum existimatore, praetereo Harpocrationem, Hermogenem et quicunque libros eius commentariis illustraverunt, omitto numerum versuum etiam huic Demosthenis orationi subscriptum, quem cum Ritschelius tum Fr. Blassius demonstravit ad indagandum genuinum orationis Philippicae tertiae circuitum imprimis esse idoneum: unum illum Demosthenis aemulum *P. Aelium Aristidem*, eum, qui M. Aurelio Antonino imperante artem rhetoricam docuit, commemoro, idque propterea quod

sententiam meam supra positam miro quodam modo confirmare mihi videtur. Is enim tantum abest ut textum solum cum cod. Σ consentientem exhibeat, ut partim lectiones sibi proprias partim omnibus libris, communes habeat, plerumque vero cum melioribus codicibus, praecipue cum cod. Augustano I conspiret. Sed quod rem causamque maxime continet, ex orationibus eius suasoriis (29-39), quas ad conficiendas cum alias Demosthenis orationes tum Philippicam tertiam diligentissime excerpsit et quasi expilavit, *apparet eum* §§ 6 *et* 7 *manu XII. saeculi in cod.* Σ *suppletos, quos genuinos esse supra exposui, cognovisse.* Etenim non solum ponit rarum illud διισχυρίζομαι, quod unum in mg. Σ et Schultzii Palatino traditum est pro διορίζομαι (εἰ δ' ὑπὲρ μὲν τοῦ μέλλοντος οὐκ ἐνέσται διισχυρίσασθαι κτλ. Dind. I. pag. 687), sed etiam phrasin illam vere Demosthenicam ἀνάγκη φυλάττεσθαι καὶ διορθοῦσθαι refert hisce: ταῦτ ἔνι δήπου τοῦ λοιποῦ καὶ φυλάξασθαι καὶ διορθώσασθαι (Dind. I. pag. 584). Habuit igitur ante oculos orationis exemplar, in quo certe §§ 6 et 7 et ea de causa sine dubio etiam reliqua supplementa manu XII. saeculi facta perscripta erant.

His allatis restat ut missis omnibus coniecturarum atque opinionum commentis *quid ipsi veteres de diversis Demosthenis orationum recensionibus memoriae tradiderint* adiungam. Atque primum certissimumque testem habemus Hermogenem. Is enim in libro qui inscriptus est περὶ ἰδεῶν (III, p. 308) a criticis quibusdam ait in Demosthenis oratione pro corona p. 313, quo loco orator de Aeschinis iuventute verba facit, illa « κυάμους ἐφθοὺς βοῶσα κατὰ πᾶν τὸ θέρος ἐπλανᾶτο » quod gravissimae orationi non convenire viderentur esse deleta. Quae cum in nullo codice qui quidem ad nostra pervenerint tempora inveniantur, vehementer profecto dolendum est praestantissimi oratoris textum

iam a veteribus criticis una emendandi libidine ductis ita esse tractatum. Immo licet suspicari — et idem Hermogenes ex oratione contra Neaeram habita adfert exemplum — alia quoque in verbis oratoris delendo, addendo, mutando ad veterum criticorum arbitrium esse difficta, quae nunc nos ab ipso Demosthene profecta putare non dubitamus. Ipse iam Hermogenes magnam oratoris et priorum temporum et suae aetatis interpretum conqueritur libidinem atque ineptias et haec ad Dionysium, Basilium et Minucianum, imprimis vero ad Basilium pertinere tradit scholiasta eius Ioannes Siculus (VI. p. 435, 18). Quodsi veri simillimum est per tot saecula usque ad Hermogenem Demosthenis orationum textum non plane mansisse intactum, sed a rhetoribus in scholis eum tractantibus paulatim mutatum, variis passim lectionibus et additamentis auctum atque amplificatum esse, multo latius post Hermogenem patuisse interpolationem statuendum est. Constat saeculum quartum, quintum, sextum floruisse rhetorum grammaticorumque studiis et permultos eorum Demosthenem interpretatos esse et ὑπομνήματα εἰς Δημοσθένην scripsisse (cf. E. Meieri praef. ad Mid. p. XV sqq. et A. Westermanni hist. eloqu. graec. § 57, 4; 104, 12). Atque ut omittam alios, quae de Sopatro rhetore, qui Iustiniano imperatore artem suam docuit, memoriae sunt tradita, ea argumento possunt esse, qua ille ratione oratoris textum in suum usum conformaverit. Etenim Gregorius Corinthius cum (VII. p. 1293 sqq.) loquatur de ratione, qua quis simpliciter dicta aliis verbis uberius exponat, post verba: ὥσπερ ὁ Θεμίστιος πολλὰ τῶν τοῦ Ἀριστοτέλους, ἔνθα καί πη μὲν τὴν τάξιν ὑπαλλάσσει, ἢ τὰ συνεσταλμένα ἀναπτύσσει. τοῦτο ποιεῖ καὶ Σώπατρος ἐν ταῖς μεταβολαῖς αὐτοῦ καὶ μεταποιήσεσι τῶν Δημοσθενικῶν χωρίων adfert exemplum, quod probat, quanta ille libidine oratoris textum tractaverit, quam ingentem verborum sententiarumque

adhibuerit amplificationem et immutationem. Quod ad orationes Demosthenis omni genere vitiorum corrumpendas valuisse plurimum non difficile est ad intellegendum. Neque vero antiquo solum tempore eae sive declarandi causa sive aliquo perverso artis sensu retractatae sunt, sed multo magis posteris saeculis et in recentissimis libris manu scriptis a Byzantinis et principum editionum correctoribus tantopere auctae et diversissimis vitiis inquinatae sunt, ut adstricti illius gravissimique oratoris dicta in his saepe enervata videamus.

Ex his quae dixi nec minus ex Harpocrationis et Aristidis testimoniis apparet — id quod per se iam veri est simillimum — *Demosthenis orationum tanquam omnis institutionis oratoriae fundamenti diversas antiquitus extitisse recensiones et antiquam quandam* (ἀρχαίαν i. e. ἔκδοσιν) *et vulgarem* (δημώδη). Quod quidem duobus Ulpiani qui dicitur locis expressis verbis confirmatur (Dind. in praef. edit. Teubner. p. VI). Quorum prior est in scholiis eius aridissimis ad orationem Midianam p. 558, 17. Hoc enim loco cum duplex in codicibus nostris inveniatur lectio, altera, qua Helladius usus est apud Photium Biblioth. p. 533, 34: ἐπ' ἀστράβης δὲ ὀχούμενος ἀργυρᾶς τῆς ἐξ Εὐβοίας, altera, quam Herodianus secutus est in libro περὶ μονήρους λέξεως p. 13, 20: ἐπ' ἀστράβης δὲ ὀχούμενος ἐξ Ἀργούρας τῆς Εὐβοίας, scholiasta ille ad priorem lectionem — hanc enim habuit in libro suo — haec adnotavit: προσέθηκεν « ἀργυρᾶς » — ἡ δὲ δημώδης « ἐξ Ἀργούρας » ἔχει ἀπὸ τόπου τῆς Εὐβοίας. Hanc autem lectionem, quae non invenitur in cod. Σ, praebet scholiasta codicis Bav. Quamquam etiam in codicum familia Y e vocabuli ἐξ collocatione colligi posse videtur lectionem ibi scriptam fuisse a vulgari editione discrepantem, quam haud scio an etiam illa ἀρχαία exhibuerit. Alterum idque disertum de antiqua editione testimonium legitur in

adnotatione ad p. 562, 7, ubi ad scripturam vulgatam ἱερὰν ἐσθῆτα animadvertit « ἱερά » μόνον ἡ ἀρχαία ἔχει, quod ipsum inter libros usque ad id tempus collatos unus a prima manu habet codex Σ. Quae si accuratius animo reputamus, summae videtur esse temeritatis — praetereo quae viri docti de Atticianis Demosthenis orationum exemplaribus halucinati sunt, hac enim etiam de re in libro meo cui inscriptum est « Die Ueberlieferung der dritten philippischen Rede des Demosthenes » pag. 104 sqq. uberius disputavi — unius nos Ulpiani illius qui dicitur ductos testimonio cum Voemelio codicem Σ putare illius ἀρχαίας ἐκδόσεως exemplar. *Id tantum licet coniectare sero admodum recensioni cuidam ad codices Atticianos factae nomen* ἀρχαίᾳ ἐκδόσει *esse inditum.* Quod tamen ad eorum quos supra memoravi rhetorum grammaticorumque tempora non pertinere ex testimoniis eorum colligi posse existimo. Accedit, quod res est omnium difficillima, probare talem recensionem originis antiquitate insignem, qualem Voemelius, Westermannus, alii codicem Σ repraesentare opinantur, ita ut cum omnium reliquorum codicum multitudini anteponant, ante Ulpianum qui dicitur extitisse atque in honore fuisse. Nec minus si statuamus illam ἀρχαίαν ἔκδοσιν per codicem Σ repraesentatam Ulpiani demum aetate ortam esse difficile est ad explicandum, qui factum sit, ut huius antiquae recensionis unum tantum vel duo exemplaria, vulgaris vero illius octoginta fere codices nobis servarentur. Quoquo modo res se habet, optimum videtur factu cum Rehdantzio libere fateri — id quod etiam Dindorfii videtur esse sententia — raram illam atque simplicem ἀρχαίας ἐκδόσεως et Atticianorum codicum mentionem nihil prorsus valere, atque hoc iam ea de causa, quod qui qualesque illi fuerint ne coniectura quidem nos animo informare ullo modo possumus.

Una tantummodo res si placet hoc loco adhuc videtur esse adicienda. Nitschius enim, vir doctissimus, qui in societatis philologae Berolinensis commentariis, ephemeridi cui inscriptum est « Zeitschrift für das Gymnasialwesen » adiunctis, cum de aliis Demosthenis editionibus commentariisque a. 1874 iuris publici factis tum p. 196-200 de libro meo supra commemorato accurate ut solet atque fusius disputat, et de ἀρχαίας ἐκδόσεως condicione et de 580 versuum illorum orationi Philippicae III subscriptorum ratione opinatur melius fortasse nos esse iudicaturos, si in alio libro manu scripto atque in codice Parisiensi 2929, quo uno Walzius (Rhet. Gr. III. 712 sqq.) ad edendum Κάστορος Ῥοδίου ῥήτορος τοῦ καὶ Φιλορωμαίου περὶ μέτρων ῥητορικῶν librum usus est, servatum inveniretur illud a scriptore p. 721 sq. promissum: μετρικῶς σοι θήσομαι τὸν ὅλον Δημοσθενικὸν λόγον, τὸν ἐπιγράφοντα πρὸς τὴν ἐπιστολὴν Φιλίππου. τοῦτον γὰρ στίξομεν κατὰ κῶλον, καταντήσαντες εἰς τὴν ποσότητα τῶν κώλων κατὰ τὸν ἀριθμὸν τὸν ἐγκείμενον ἐν τοῖς ἀρχαίοις βιβλίοις, ὡς ἐμέτρησεν αὐτὸς ὁ Δημοσθένης τὸν ἴδιον λόγον, — quem locum gravissimum antea neglectum Nitschius in dissertatione sua « de traiciendis partibus in Demosthenis orationibus » p. 41 sq. viris doctis iure meritoque in memoriam revocavit.

Wandsbeckii, mense decembri 1875.

489926
751j
D758
54657
Draeseke, J.
Quaestio critica de Demosthenis oratione Philippica tertia
JAN 11 1930 SEM 314 CALHOUN SEP 1930
489926
UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY
BERKELEY, CALIFORNIA